Eccleſiis paternis. Nec in hac parte aliquid immutatum eſt dictis novis conſtitutionibus Clementis VII. & Tridentini, quia in eis circa filios legitimos nihil cautum fuit; ideo ſervari debet jus antiquum, argumento legis *proximus*, *C. de appell.* Docent Navarr. *in c. ſi quando, de reſcriptis in auctario n.* 3. Salcedo *in praxi, cap.* 48. *litt. A.*, Emmanuel Rodrig. *in ſumma, t.* 1. *c.* 29. *n.* 4. Garcia *d. c.* 3. *n.* 18.

9 Primæ partis ratio deciſiva. His ſuppoſitis præſens aſſertio quoad primam partem ea nititur ratione, nam ſi filii illegitimi, niſi regularem vitam profeſſi ſint, ſacris ordinibus initiari non valent, ut ſuperiori commentario probavi, & per conſequens incapaces ſunt beneficiorum, ut præcedenti commentario illuſtrabo; inde ſi beneficiorum extraneorum incapaces ſunt, quanto magis eorum, qui a parentibus poſſidebantur, cum ſi liceret illis in paternis Eccleſiis miniſtrare, facile apud fideles refricaretur incontinentiæ paternæ memoria. Quoad ſecundam partem præſens aſſertio eam habet rationem, nam cum in beneficiis Eccleſiaſticis ſucceſſio hereditaria, vel ejus imago reprobetur, *can.* 79. *Apoſtolor. c. Apoſtolica, & per totam* 8. *qu.* 1. *c. ad hæc, de decimis, c. conſuluit, de jurepatron. c.* 1. *de præbend.* & cum filii ſuccedunt in beneficiis parentum, etiam præcedente Epiſcopi inſtitutione, quædam ſucceſſionis datur imago, devolutione beneficii facta de patre ad filium, labente tempore neglecta Epiſcopi inſtitutione, ex jure conſanguinitatis tantum delatum beneficium præſumeretur, unde recte ut hanc ſucceſſionis imaginem, aut ſuſpicionem SS. Patres tollerent, tot legibus inhibuerunt, ne filii in beneficia paterna immediate inſtituerentur: & quia hæc ſucceſſionis imago penitus adimitur, cum inter patrem, & filium extranea perſona inſtituitur, quia tunc ſanguinis continuatio interrumpitur extraneo mediante, non negarunt Patres filium ad beneficium paternum admitti poſſe mediante alio poſſeſſore, *c. ex tranſmiſſa, hoc tit.* Lotherius *ubi ſupr. n.* 174.

10 Tollitur quædam difficult. Nec tunc obſtabit ſi dicas, hac ratione attenta non minus arcendos eſſe patres a beneficiis filiorum, quia ut filios invitat natura ad ſucceſſionem parentum, ita turbato mortalitatis ordine, patres ſuccedunt filiis, *l. nam, & ſi, ff. de inofficioſo teſtam.* & tamen parentes non repelluntur a beneficiis, quæ obtinuerunt filii, ſive legitimi, ſive illegitimi, ut poſt Gloſ. *in c. Apoſtolicam, verbo Præbendas* 8. *q.* 1. tenent Rebuffus *in praxi, tit. de diſpenſat. ſuper defectu natalium, n.* 29. Quintanadvennas *d. l.* 2. *Eccleſ. n.* 95. Garcia *d. c. n.* 18. Sed reſpondendum eſt, præſentem prohibitionem non extendi ad parentes; tum quia cum odioſa ſit, reſtringi potius debet, quam ampliari, ex regula *Odia, de regulis jur. lib.* 6. tum quia non adeo frequenter ſuccedunt parentes filiis, ſicut filii parentibus; tum etiam, quia jus veræ ſucceſſionis non adeo firmum, certumque eſt in favorem parentum circa bona filiorum, ac competit filiis in bonis paternis, *d. l. nam etſi*: ſic etiam dicendum eſt in ficta ſucceſſione, ne plus noceat fictio in caſu ficto, quam prodeſt veritas in caſu vero, contra textum *in l. filium quem, ff. de liber. & poſthumis*; etſi verius crederem cum Garcia *d. c.* 3. *n.* 31. quod ſi filius illegitimus ſublato per diſpenſationem impedimento natalium, beneficium obtineat, aliud in eadem Eccleſia patrem obtinere non poſſe poſt Concilium Trid. quia ex eo Tridentini decreto colligitur, propter paternam incontinentiam coercendam ſtatui, ne filius, & pater in eadem Eccleſia miniſtrent; quæ ratio non minus viget ubi prius pater, mox filius beneficia obtinuerunt, quam e converſo.

11 Deducuntur variæ illationes. Ex hac etiam ratione provenit, quod cum nulla ſucceſſionis imago dari, aut ſuſpicari poſſit, ſi filius vivente, vel defuncto patre in Eccleſia non beneficium paternum, ſed aliud ſimile, vel diſſimile habeat, tale beneficium obtinere filio permittitur, *c. ad hoc, hoc tit.* quod illegitimis non conceditur, *c. cum decorem, hoc tit.* Nec contrarium probat textus *in c. ad abolendam*, in illis verbis: *Filii maxime ſpurii*; ubi filiis, tam legitimis, quam illegitimis interdicitur, ne in Eccleſiis ſæcularibus, in quibus patres eorum inſtituti ſunt, beneficia conſequantur, quia textus ille accipiendus eſt de illegitimis filiis, non vero de legitimis; dictio enim illa, *maxime*, accipitur pro *tantum*, ut plerumque contingit. Docent Barboſa *de dictionib. dict.* 197. Lotherius *ubi ſup. n.* 192. niſi verbum illud, *inſtituantur*, accipiamus pro, *ſuccedant*, ut notavit Cironius *in præſenti*; & tunc abſolute vera eſt prædicta prohibitio, ne filii, maxime ſpurii inſtituantur; ideſt ſuccedant in Eccleſiis, videlicet in præbendis, ubi patres eorum inſtituti fuerunt. Quomodo intelligitur textus *in c.* 2. *hoc tit. in* 2. *collect.* in illis verbis: *Sacerdotum vero filios, & maxime in ſacerdotio genitos, non ſinit ſuccedere parentibus conſuetudo, ne laicis ſcandalum generetur.* Igitur illud diſcrimen obſervandum eſt inter legitimos, & illegitimos filios, quod filii legitimi viventibus, aut defunctis parentibus, in ipſis Eccleſiis aliud beneficium obtinere poſſunt, *d. c. ad hæc*; illegitimi vero vivente patre, neque diſſimile beneficium in ipſa Eccleſia obtinere valent, *c. conquerente, hoc tit.* nec eo mortuo; quod licet jure communi expreſſum non eſſet, hodie ſtatutum reperitur in Conc. Trid. *ſeſſ.* 25. *de refor. c.* 15. ubi ut paternæ incontinentiæ memoria a locis Deo conſecratis longiſſime arceatur, conſtituitur, ut filii illegitimi clericorum, qualecumque beneficium ſit, ſive magnum, ſive parvum, ſive ſimile, ſive diſſimile, in ipſis Eccleſiis, ubi patres eorum miniſtrarunt, obtinere non poſſint. Exponunt illud Concilii decretum Lotherius *ubi ſup.* Valenſis *de benef. d. tit.* 18. *n.* 9. Ex dictis etiam provenit, ut cum pater ſine titulo obtinuit aliquod beneficium, vel ut Vicarius temporalis miniſtravit filius cum titulo, legitime poteſt illud obtinere, cum ceſſet ſuſpicio hereditariæ ſucceſſionis, quia pater nunquam illud poſſedit, *c. conſtitutus, hoc tit.* Et quia hæc prohibitio ſuccedendi in beneficiis parentum ſtatuta & decreta eſt tot Pontificum, & Concilii generalis decretis, in quibus alius, quam R. Pontifex diſpenſare non valet, *c. propoſuit, de conceſſ. præb.* ideo neque Legati, neque inferiores Prælati diſpenſare poſſunt, ut filii illegitimi, vel legitimi in paternis beneficiis ſuccedant.

12 Diſſolvitur dubitandi ratio. Nec obſtat dubitandi ratio ſupra adducta; verum enim eſt, in aliquibus officiis, & dignitatibus permiſſum eſſe filiis ſuccedere parentibus, & apud varias nationes id obſervatum legimus: illud tamen procedit in officiis, & dignitatibus, in quibus ſucceſſio hereditaria non prohibetur; at vero in dignitatibus, vel officiis, in quibus ſucceſſio inhibetur, filii ſuccedere parentibus non poſſunt, *l.* 1. *C. de muner. & honor. non continuandis inter patrem, & filium, lib.* 10. ubi plura D. Franciſcus de Amaya: unde cum in beneficiis Eccleſiaſticis tot Eccleſiæ legibus damnata ſit non ſolum ſucceſſio, verum & ejus imago, ideo filii legitimi non admittuntur ad beneficia paterna. Nec argumentum difficultatis obſtat, quia licet verum ſit, filium legitimum a Patrono præſentatum, ab Epiſcopo inſtitutum, jure ſanguinis, aut ſucceſſionis non vocari ad beneficium patris; quia tamen datur quædam imago ſucceſſionis, & ſcandalum in populo generatur, qui ignarus & negligens, jure tantum ſanguinis beneficium delatum credet; ideo ut hæc imago ſucceſſionis, & ſcandali occaſio amputentur, PP. inhibuerunt, filios etiam legitimos inſtitui in beneficiis parentum. Nec exempla pro argumento difficultatis relata in contrarium nos movent; nam in illis, & aliis, quæ longum eſſet recenſere, ſupponenda eſt Pontificis diſpenſatio, qua præcedente, tam legitimi, quam illegitimi in beneficiis parentum ſuccedere poſſunt, *cap. finali, hoc tit.* ubi late id probabimus.

13 Exponitur c. veniens 5. hoc tit. Sed ſupra traditæ aſſertioni primo opponitur textus *in c. veniens* 5. *hoc tit.* ubi deciditur, quod ſi filius ſacerdotis fuerit inſtitutus in ipſa Eccleſia, in qua pater ejus proxime miniſtraverat, ab ea per ipſum Epiſcopum amoveri non poteſt. Ex qua deciſione aperte colligitur, filium poſſe retinere beneficium paternum, cum ibi decidatur; jam inſtitutum amovendum non eſſe. Quam difficultatem ut diſſolvat Panormit. *ibi n.* 6. exiſtimat, ideo filium ſacerdotis potuiſſe in ea ſpecie beneficium retinere, quod pater ejus immediate obtinuit, quia beneficium illud ſimplex erat, quod ex diſpenſatione Epiſcopi filius immediati poſſeſſoris obtinere poteſt, *c.* 1. *hoc tit. in* 6. quæ diſpenſatio in eo textu ſupponitur ex eo, quod ſciens Epiſcopus filium ſacerdotis eſſe, & patrem ejus immediate in eo miniſtraſſe, nihilominus eum inſtituit; unde cum eo tacite diſpenſavit, juxta tradita a Baſilio Legionenſi *l.* 8. *de matrim. c.* 15. Verum hæc interpretatio aperte convincitur ex illis verbis: *Quod cum illum ad Capellam S. L. quam ei conceſſiſti, in Presbyterum ordinaſſes.* Ex quibus conſtat, beneficium curam animarum continere, ſiquidem poſſeſſor in Presbyterum ordinatus fuit. Quare hac ſolutione omiſſa, dicendum eſt, *in d. c. veniens*, filium Presbyteri beneficium paternum retinuiſſe ex diſpenſatione Pontificia, quæ non tam in favorem poſſeſſoris, quam in odium Epiſcopi, qui illum ſpoliaverat, ut alii conferret, introducta eſt, ut docent pro illius textus interpretatione Philippus Francus, & Geminianus *in c.* 1. *hoc tit. in* 6.

14 Exponitur c. 3. de præſcrip. in 1. coll. Secundo adverſatur textus *in c.* 3. *de præſcript. in* 1. *collectan.* in illis verbis: "Significavit nobis Vv. clericus de Cothoſinori, „ quod cum Eccleſiam ipſam canonice ſit adeptus & per 30. „ annos, & amplius in pace poſſederit, S. Clericus, qui plu- „ ribus beneficiis eccleſiaſticis dicitur abundare, ipſum obten- „ tu quarumdam litterarum, quas a ſanctæ recordationis Ale- „ xand. Papa prædeceſſore noſtro dicitur impetraſſe, cum ea „ occaſione, quod filius ſit illius, qui proxime in eadem Ec- „ cleſia miniſtravit, trahens in cauſam, multipliciter inquie- „ tare præſumit. Quia igitur injuſtum eſt, & abſonum ratio- „ ni, ut idem Vv. eadem Eccleſia, ex quo in ea per tot tem- „ pora dicitur fuiſſe, debeat tali occaſione privari: diſc. v. „ per A. ſ. m. quat. ſi quæ præmiſimus, veritate noveritis ſub- „ nixa, ipſum a memorato clerico talis occaſionis obtentu non „ dimittatis ſuper Eccleſia ipſa aliquatenus moleſtari, ſed fa- „ ciatis eum, ſicut juſtum videritis, eam pacifice poſſidere." Ex quibus expreſſe deducitur, filium Sacerdotis obtinere, & poſſidere poſſe beneficium paternum: igitur non recte aſſerimus, filios arceri a beneficiis parentum ſuorum. Augetur ejus textus difficultas *ex c. ex parte* 7. *de teſtibus*, ubi in eadem ſpecie, cum quis per 30. annos beneficium poſſederat, & poſtea quidam miles ipſum ſpoliaverat, aſſeritur, quod ſi per legitimos teſtes conſtiterit ipſum eſſe filium Presbyteri, a beneficio eſſe removendum. Sed pro expoſitione textus *in d. c.* 3. dicendum eſt, in eo textu nullo modo decidi ſacerdotis filium in judicio plenario proprietatis juſtitiam obtinere, ſed tantum eum in poſſeſſione inquietandum non eſſe, & judicem delegatum juxta juris principia, & cauſæ merita procedere debere. Quare ſi conſtitiſſet illis filium ſacerdotis eſſe, & patrem ſuum proxime miniſtraſſe in ea Eccleſia, ipſum a beneficio eſſe repellendum, interim vero ſpoliatum eſſe reſtituendum, ex traditis in notis ad textum *in c. conſtitutus hoc tit.*

15 Opponitur c. 2. de arbitr. Tertio adverſatur textus *in c.* 2. *de arbitris*, in illis verbis: *Et eodem R. mortuo, M. nepos ejus, qui ſibi in jamdicta Eccleſia ſucceſſit, &c.* Ex quibus verbis aperte liquet, nepotem avo ſuo immediate in beneficio ſucceſſiſſe: ſed filiorum appellatione etiam nepotes continentur, *l. juxta, ff. de V. S.* ubi Fornerius, & Gentilis: plura Valaſc. *l.* 1. *conſultat. conſult.* 140. Cabedo *dec.* 140. *n.* 2. igitur ſi nepos *in d. c.* 2. admittitur ad beneficium paternum immediate, & filius etiam admitti valebit. Huic difficultati, ut ſatisfaciant Berojus *in eo textu, n.* 16. Abb. *notab.* 2. Imola *in c. ex parte, de officio delegati*, Rebuffus *de pacificis, n.* 214. & 276. Mieres *de majorat. qu.* 2. *p.* 2. *num.* 25. & alii relati a Garcia

Garcia *de beneficiis, p.* 7. *c.* 3. *n.* 23. affirmant prohibitionem noſtram ſuccedendi in beneficiis parentum, extendi ex identitate rationis ad nepotes; quare accipiunt textum *in d. c.* 2. de fratris filio, qui etiam in jure noſtro, & apud bonæ notæ auctores appellatur nepos, *c. per tuas, de probat. c.* 12. *de deſponſat. impuber. c.* 7. *de conſanguinit. & affinit. c.* 1. *quibus modis feudum amittatur.* Unde cum noſtra prohibitio non procedat in deſcendentibus ex linea tranſverſali, ideo deſcendentes ex fratribus poſſunt poſt mortem avunculi, ſeu patrui ſui in beneficio immediate ſuccedere. Sed licet hæc interpretatio valde probabilis ſit, & juxta eam accipiendi ſint textus *in cap. ex parte* 12. *de officio delegati, cap. accedens de accuſat.* tamen jure communi attento neceſſaria non eſt hæc lata nepotis acceptio; ſiquidem verius eſt, prohibitionem noſtram, ut non ſuccedant filii in beneficiis parentum, non extendi ad nepotes, ex principio vulgari, in odioſis videlicet non venire nepotes appellatione filiorum, *l. lege Julia, ff. de ritu nuptiar. §. hoc capite, l. patri, ff. ad l. Jul. de adult.* Bartol. *in l. liberorum, ff. de V. S.* Covarr. *l.* 2. *variar. c.* 8. *n.* 2. niſi de nepotibus expreſſe caveatur, ut *in c. quia* 6. *de jurepat.* Hanc ſententiam defendunt Joannes Andreas, Ancharanus. & alii *in c. ad extirpandas, hoc tit.* Azor. *t.* 2. *moral. l.* 6. *c.* 4. *q.* 15. plures congeſti a Barboſa *in d. c. ad extirpandas.* Hodie tamen contrarium cenſuit ſacra Congregatio Cardinalium, referente Andrea Valenſe ubi ſupra; unde licet jure Decretalium nepos admitteretur ad ſucceſſionem in beneficio paterno; hodie tamen ab eo arcetur. Obſtat etiam textus *in c. inter ceteras*, 4. *de reſcriptis*, cujus interpretationem in ejus notis adduxi.

C A P U T U L T.

Gregorius IX. a *Turon. Archiepiſc.*

NImis in tua provincia Eccleſiæ deformatur honeſtas ex eo quod filii ſacerdotum, & alii non legitime nati, ad dignitates, & perſonatus, & alia beneficia curam animarum habentia, ſine diſpenſatione Sedis Apoſtolicæ promoventur. Quocirca mandamus, quatenus prædictis perſonis a perſonatibus, & dignitatibus, & hujuſmodi beneficiis prorſus amotis, ea perſonis idoneis conferri facias per illos, ad quos collationem ipſorum de jure noveris pertinere. Et ne id de cetero præſumatur, diſtrictius inhibemus.

N O T Æ.

a TUron.) Nuello de Mattefellon, poſtea Archiepiſcopo Rhemenſi. De Eccleſia Turonenſi egi *in c. ad aures, de temporib. ordin.*

COMMENTARIUM.

1 Concluſio probatur auctoritate, & ratione. EX præſenti textu communiter deducitur talis aſſertio: *Filii illegitimi abſque Pontificis diſpenſatione ad dignitatem, ſeu beneficium admitti non valent.* Probant eam text. *in can. de inceſtis* 35. *q.* 3. *c. cum in cunct.* 7. *de elect. c. conſtitutus, el* 2. *de appellat.* Concil. Trid. *ſeſſ.* 23. *de refor. cap.* 5. ibi: *De ipſorum ordinandorum natalibus.* Gregorius XI. in Bulla, quæ incipit, *Etſi a ſacris canonibus*, edita anno 1374. & alii congeſti *in c.* 1. *hoc tit.* Illuſtrant Suar. *de cenſuris diſp.* 50. *ſect.* 5. Duarenus *l.* 4. *de ſacris Eccleſiæ, c.* 5. Petrus Gregor. *de benefic. c.* 35. Garcia *eod. tr.* 1. *p. c.* 5. *n.* 105. *& p.* 7. *cap.* 2. Lotherius *eod. tr. l.* 2. *q.* 48. *n.* 192. Valenſis *eod. tr. lib.* 1. *tit.* 18. Barb. *de poteſt. Epiſc. alleg.* 54. Ægid. *de privileg. honeſt. art.* 16. *n.* 23. Solorzanus *tom.* 2. *de jure Indiar. c.* 20. Faciunt Ivo Carnotenſis *ep.* 126. Damberto Senonenſi Archiepiſcopo miſſa. „ Certum tamen habeat amantiſſima veſtra „ paternitas, quia juramentum, quod fecerunt clerici de „ non recipiendis vulgo natis in canonicos, vel quibuslibet „ aliis de extranea familia genitis, me inconſulto fecerunt: „ ſed quia non eſt meum filios mihi commiſſos in infamiam „ detrudere, ne perjurium incurrerent, non ſolum quod fecerant indulſi, ſed etiam apud Dominum Papam pro eis „ interceſſi, ut quod fecerant, approbaret, & decreti ſui pa- „ gina roboraret. *Stephanus Tornacenſis* epiſt. 99. ad Lucium „ III. Summum Pontificem, *ibi*: Et quoniam, *inquit*, in Re- „ gno Francorum aliquæ Eccleſiæ quadam ſcrupuloſa nobili- „ tate glorioſam, ut æſtimant, ſibi conſuetudinem aſſumpſe- „ runt, ne aliqui, niſi ex licito complexu geniti promovean- „ tur in eis, meritorum, & virtutis excellentiam origini poſt- „ ponentes, prædicto Cancellario ſuperbe potius, quem ſu- „ perne titulum nativitatis objiciunt, ne vel ad eos acce- „ dat, vel inter eos aſcendat. Eorum Pater legibus Roma- „ næ Eccleſiæ non ſubditur, potens, ſi voluerit, vel eis de- „ rogare, in partem, vel eas penitus abrogare: ſolvatur in „ eo, ſi placet, Apoſtolica manu vinculum, quod excluſa „ virtute nativitatem includit, ut in paucis Eccleſiis, quæ „ illud obſervant, privilegium mereatur accipere, per quem „ in Palatio Regis multæ Eccleſiæ privilegia conſequuntur." Nec ratione deſtituitur præſens aſſertio; nam cum beneficium detur propter officium, *cap. cum ſecundum de præbend.* & qui officium exercere non poteſt, beneficium retinere non valeat, *cap. ex litteris, de exceſſ. Prælat.* ideo illegitimi, qui ab ordinibus arcentur, ex ſupra congeſtis *in cap.* 1. *hoc tit.* a beneficiis etiam, & dignitatibus removentur: & cum hæc prohibitio Concilii generalis ſit, *d. c. litter. hoc tit.* & Epiſcopus non poſſit diſpenſare in legibus generalibus Eccleſiæ, ut poſt alios noviſſime defendit Hurtado *t.* 2. *de reſid. reſolut.* 3. *ſubreſol.* 11. ideo in hac prohibitione diſpenſare non poteſt, niſi tantum quoad beneficia ſimplicia. Pontifex autem, qui eſt ſupra omne jus Eccleſiaſticum, *c. propoſuit, de conceſſ. præb.* poteſt diſpenſare cum illegitimis quoad ordines recipiendos: ſed cum quælibet diſpenſatio ſit ſtricti juris, ideo diſpenſatus a Pontifice quoad beneficia, non eſt diſpenſatus quoad dignitates, ut docet Valenſis *ubi ſupra n.* 7.

2 Exponitur c. 2. de corpor. vit. Sed ſuperiori aſſertioni primo ultra textus ſupra expenſos *in c.* 1. *hoc tit.* opponitur textus *in c.* 2. *de corpore vitiatis*, ubi aſſeritur Archiepiſcopum Cantuarienſem poſſe diſpenſare cum illegitimo, ut in Epiſcopum eligeretur, & conſecraretur; igitur illegitimi abſque diſpenſatione Pontificis, ſolummodo ex ſuperioris licentia beneficia, & dignitates obtinere valent. Pro hujus textus interpretatione aſſerendum eſt, Archiepiſcopum Cantuarienſem in ejus ſpecie diſpenſare, non propria auctoritate, ſed ex delegatione Summi Pontificis, ut conſtat ex illis verbis: *Archiepiſcopo dedimus in mandatis, ut pro eo quod canonici filius diceris, in promotione tua ex multa diſpenſatione procedat.* Unde non tam ipſum, quam Rom. Pontificem credimus cum eo diſpenſaſſe. Docet Petrus Gregor. *de benefic. c.* 35.

3 Intelligitur cap. cum olim, de cler. conj. Secundo adverſatur textus *in c. cum olim* 6. *de clericis conjug.* ubi proponitur filium Presbyteri in Epiſcopum Anglorienſem electum fuiſſe: Archiepiſcopus Acherontinus agnovit in confirmatione electionis filium electum eſſe illegitimum: conſuluit Innocentium III. qui reſcripſit quod, cum ritu Græcorum pater ejus uxorem retinuiſſet, ex eo quod Presbyteri filius erat, non debebat Epiſcopatu privari. Ex quo textu apparet, filium illegitimum in Epiſcopum eligi poſſe: igitur non recte aſſerimus, Presbyterorum filios a beneficiis, & dignitatibus Eccleſiaſticis arceri. Augeſcit magnopere hæc difficultas, ſi animadvertamus, Eccleſiam Acherontinam eſſe in Regno Apuliæ in Calabria majori, & per conſequens in Eccleſia Latina, & ſic juxta Latinæ Eccleſiæ ritus, ubi ſacerdotes, nec ducere, nec retinere uxores valent, accipiendus eſt textus *in d. cap. cum olim.* Cui difficultati ut ſatisfaciamus, ſciendum eſt, apud Græcos, in Orientali videlicet Eccleſia, etiam poſt ſacerdotium Presbyteros uxores proprias retinere, & filios ex eis legitimos procreari, *c. quæſitum* 7. *de pænit. & remiſſ.* late illuſtrabimus *in d. cap. cum olim.* Etiam ſupponendum eſt, morem hunc retinendi uxores, non ſolum apud Orientales viguiſſe, verum, & apud Occidentales quoque in illis provinciis, quæ ditioni Græcorum ſubjacebant. Unde cum pars illa Apuliæ, magna Græcia dicta, ſubjugata eſſet a Græcis, qui parte illa Calabriæ potiebantur, ut refert Leo Hoſtienſis *l.* 2. *c.* 68. & ex eo, & Gregorio VII. notavit Cironius *in parat. ad tit. de cleric. conjug.* Anglorienſis diœceſis ad Orientalem Eccleſiam ſpectabat. Quibus ſuppoſitis apparet vera mens Pontificis *in dict. cap. cum olim*, ideo enim aſſerit, filium Sacerdotis in Epiſcopum Anglorienſem electum, confirmandum eſſe, quia hujuſmodi filius ex Sacerdote Græco natus erat, & ea Apuliæ pars ritus Græcorum, quibus parebat, obſervabat.

BIBLIOTECA CENTRAL

TITULUS XVIII.

De ſervis non ordinandis, & eorum manumiſſione.

CAPUT PRIMUM.

Ex Concilio a Toletano.

b INſtruendi ſunt laici præterea, ut ſciant, quod nullatenus alio *c* loco manumittere poſſunt ſervos proprios, quos Dominicis caſtris aggregare *d* decreverunt, niſi in ſacroſancta Eccleſia, ordine prænotato. Quomodo enim clerici extra *e* Eccleſiam libertatem conſequi poſſunt, qui a lege mundana extranei ſunt? Et quibus interdi itur, ne ad ſæculare judicium procedant, quomodo ſæculari judicio a jugo ſervitutis abſolvu tur? Fortaſſe dicit aliquis. Clericus fieri non permittitur, niſi ante ſuſceptum clericatus officium, *f* ingenuitatis dignitate potiatur. Revera verum dicit, & ideo quod confirmari, vel vituperari poteſt, *g* præcaveri debet. *h* Non ſolum autem, qui ad clericatus ordinem promovendi ſunt, in Eccleſia manumittendi ſunt; verum etiam ii, quos quiſque pro *i* remedio animæ ſuæ emancipari vult, quia ſic ſcriptum eſt in *k* pacto Francorum.

NOTÆ.

1 a TOletano.) Ita concipitur hujus textus inſcriptio apud Ivonem *p.6. Decreti*, *c.*129. Burchardum *l.* 2. *Decreti*, *c.* 29. *in collect. Decretal. c.*1. ſed mendoſe, ut exiſtimat Ant. Aug. *in notis ad primam collect. in d.c.*1. in nullo enim ex Conciliis Toletan. reperitur præſens canon; unde ut falſo relatum ex Concil. Toletan. refert Loayſa in Concil. Toletan. 1. Credo tamen canonem hunc eſſe Concilii Toletani, cujus acta, & Canones injuria temporum perierunt; alia enim Concilia Hiſpaniæ noſtræ ultra collecta a D. Garcia a Loayſa ab hiſtoricis referuntur, ut Conc. Toletan. celebratum anno 253. quod refert Padilla *cent.* 3. *c.*7. aliud Morales *l.*9. *chron. c.*45. Unde licet Conc. ipſum non habeamus, tamen præſens canon ad illud referendus eſt.

2 b *Inſtruendi ſunt præterea laici.*) Omiſſis variis manummiſſionis formulis apud Romanos uſitatis, quas referunt Cuellar. *in tr. de manumiſſ.* Cabreros *de metu l.*1. *c.*34. Briſſonius *l.*1. *ſelect. c.*11. Fornerius *l.*1. *ſelect. c.*5. Merillus *l.*3. *obſerv. c.*3. Cujacius *l.*5. *obſerv. c.*13. Oſvaldus *l.*2. *comment. c.*12. *&* 15. *litt. F.* Revardus *de auctorit. prud. c.*7. Gothofredus *in l. unic. §.*5. *C. de Latina libert.* ſciendum eſt, olim in Hiſpania, Gallia, Longobardia, & aliis nationibus ſervos manumiſſos fuiſſe, aut per denarium, aut in Eccleſia, aut per chartam. Per denarium manumittebantur ſervi hac forma. Denarius apponebatur in manu ſervi manumittendi, quem Rex manum ſervi impellendo, & excutiendo jactabat: hujus manumiſſionis mentio fit apud Petrum Pitheum *ad legem Salicam*, *tit.*28. his verbis: *Servum juris veſtri manu propria, e manus illius excutientes denarium ſecundum legem Salicam, liberum cum omnibus quæ habet, vel acquiſierit, fecimus.* Formulam integram manumiſſionis ex tabulario S. Martini Turonenſis refert Bignonius *ad Marculfum l.*1. *c.*22. in hæc verba: „ Carolus Imperator Auguſtus, &c. Adalgarius Levita petiit, ut imperiali more præceptum fieri juberemus. Decernimus, ut more prædeceſſorum noſtrorum Imperatorum, & Regum e manu ipſius Luthardi denarius excutiatur, ut a præſenti die idem Luthardus ſemper, & ubique omnibus locis liberatus valeat uti propria poteſtate, abſque alicujus reluctatione, aut contradictione, & quocumque ei libuerit, omnibus modis liber, & velut nobili proſapia genitus eſſet, liberaliter per noſtram auctoritatem pergat. Hanc præceptionem manu noſtra firmavimus, & annulo noſtri Imperii ſigillavimus. Amalbertus Notarius ad vicem Autberti Archicancellarii: data 15. Kal. Julii Anno Incarnationis Dominicæ DCCCLXXXVI. Indictione 5. Imperii Caroli VII. „ *Aliam refert Lemaiſtre* de juribus Epiſc. l.3. cap. 8. *in hunc modum*: “ In nomine ſanctæ, & individuæ Trinitatis, Ludovicus Divina favente gratia Rex. Noverint omnes fideles noſtri, præſentes ſcilicet, & futuri, quia nos rogatu Purucharti dilecti Comitis noſtri, quemdam proprium ſervum noſtrum Johan nominatum, in præſentia fidelium noſtrorum per excuſſionem denarii de manu illius, juxta legem Salicam, in eleemoſynam noſtram liberum dimiſimus, & ab omni jugo ſervitutis abſolvimus; ejus quoque abſolutionem hoc ſcripto firmavimus, quam in omni tempore firmam, inviolabilemque manſuram eſſe volumus. Præcipientes ergo jubemus, ut ſicuti reliqui manumiſſi, qui per hujuſmodi titulum abſolutionis a Regibus, vel Imperatoribus noſcuntur eſſe relaxati ingenui; ita deinceps memoratus Johan bene ingenuus, atque ſervus exiſtat. Et ut iſta ingenuitatis pagina firma, ſtabiliſque conſiſtat, annulo noſtro eam conſignari juſſimus. Ernuſtus Cancellarius, ad vicem Theotimari Archicapellani recognovi. Dat. 11. Kal. Junii, anno Incarnationis Domini DCCCVI. Indict. XI. Anno Regni Domini Ludovici VII. Actum in Rotuvilla feliciter. Amen. “ A quo manumiſſionis ritu manumiſſi denariales dicebantur, & eorum illa conditio erat, ut quamvis liberos heredes habere poſſent, ipſi vero, aut eorum liberi nullius hereditatem capere valebant, ut cavetur in Capitularibus Caroli, & Ludovici *lib.* 6. *c.* 208. „ Homo denarialis, non antea hereditare in ſua cognatione poterit, quam uſque ad tertiam generationem perveniat. *Et l.*2. *tit.*34. *l.*2. legum Longobard. Homo denarialis non habeat hereditatem in ſua generatione, antequam uſque in tertiam generationem non perveniat. *Notat Bignonius* ubi ſupra.

3 In Eccleſia manumittebantur ſervi per tabulam, aut chartam, hoc modo: Dominus ſervum manumittendum deferebat ad Eccleſiam, & ibi Epiſcopo, Sacerdoti, aut Archidiacono tradebat; ipſeque illum apprehendebat manu, & altari ſiſtebat. Tunc Dominus teſtes adjurans, Epiſcopum, Sacerdotem, Diaconum, & reliquos miniſtros manumiſſioni intereſſentes, ſervum illum liberum eſſe pronuntiabat, aut tabula libertatis tradita, eum liberum eſſe ajebat. Cujus formam refert Bignonius *ad Marculfum c.*23. in hæc verba: „ Ego Fulco Comes Andagavorum, & mea ſoror Ermengardis hunc fidelem noſtrum Benedictum, nobis vinculis ſervitutis obnoxium ab omni debito ſervilis conditionis, pro anima patris noſtri Fulconis, & pro remiſſione malefactorum noſtrorum abſolvimus; ut deinceps cum omni fructu ſuo licentia liberali donatus, in quamlibet mundi partem eat; neque cuiquam ſucceſſorum noſtrorum eum ab arbitrio ſuo revocare licet. “ *Et in veteri formula 56. apud ipſum Bigon. ita legitur*: „ Quod ſecundum legem Romanam actum eſt, nullatenus revocetur. Itaque ſub die illo, anno illo Regni Domini noſtri, illius Regis indictione illa, ille vir venerabilis, ille Diaconus teſtatur eis, qui tabulis ſubſcriptis manumittere in Eccleſia illa, vindictaque liberare famulum illum ſuum bene ſibi meritum cupiunt, ſecundum conſtitutionem bonæ memoriæ Conſtantini faciant, legiſque qua dicitur, ut omnes qui ſub oculis Epiſcoporum, Presbyterorum, ſeu Diaconorum in Eccleſia manumittuntur, ad civitatem pertineant Romanam, & ab Eccleſia defenſentur. “ Si autem ore tantum dominus ſervum liberum eſſe pronuntiabat, Diaconus, ſeu Archidiaconus libertatis chartam conſcribebat, & manumiſſo tradebat, ut paſſim legitur in legibus Vviſigothor. *l.*5. *tit.*7. & Capitularibus Carolis *l.*1. quæ charta prius recitabatur ſilentio indicto. D. Aug. *ſerm.* 5. ex 40. qui nuper prodierint, ibi: *Servum tuum manumittendo manuducis in Eccleſiam, fit ſilentium, libellus tuus recitatur, aut fit deſiderii tui proſecutio, dicis te ſervum manumittere.* Et quia chartam manumiſſi accipiebant, chartularii dicebantur, de quibus intelligitur text. *in can.*20. *Concilii Vvormat.* cui titulus eſt, *Chartularius qui cum ancilla fornicatur, eam libertate donatam uxorem habere cogatur.* Notavit Cocchier. *in face hiſtor. c.*96. *p.*147. Peragebatur vero manumiſſio in Eccleſia, inſuper habitis injurioſis ſolemnitatibus, quę in manumiſſione vindictæ intervenire ſolebant: quare manumittendo alapa non impingebatur. Gregorius Nazianz. *orat.* 3. *de reſur. carn. Servus*, inquit, „ Bono, & humano præconio, atque edicto Eccleſię manumittitur, neque tamen alapis fœde os ejus ceditur, plagaque a plaga liberatur: neque quemadmodum in pompa fieri ſolet, in edito, atque ſublimi ſuggeſtu populo oſtentatur, a rubore, & contumelia libertatem ſuam exorſus: ſed ita decore, & honeſte dimittitur, ut notum eſt. “ Ex his duobus manumiſſionum modis uſitatior fuit manumiſſio, quæ in Eccleſiæ fiebat; tum quia, & apud Gentiles in templo Feroniæ Deæ ſervi manumittebantur, ut teſtantur Plutarchus, *in Publica*, Titus Liv. *lib.*2. tum quia ita manumiſſi civitatem Romanam, & plenam libertatem aſſequebantur ex Conſtantini conſtitutione relata *in l.*1. *C. Theod. de manum. in Eccleſia*, *l.*1. *C. de his, qui in Eccleſia*, cujus meminerunt Nicephorus Calixtus *l.*7. *hiſtor. Eccl. c.* 16. ubi de Conſtantino loquens ait: „ Libertatem quoque Eccleſiæ lege lata conceſſit, & ut libertate ſacerdotibus teſtibus donati, civium Romanorum numero adſcriberentur. “ Sozomenus *l.*1. *hiſt. c.*9. Caſſiodorus *l.*1. *hiſt. tripar. c.*9. ubi de hac re tres Conſtantini leges refert. Alia apud Baronium videnda ſunt *anno* 316. *n.*73. Ex qua conſtitutione, & formulis ſupra relatis conſtat, munumiſſos in Eccleſia liberos manere, non libertate ſolum Latina, ſed & Quiritia, & plena, de quibus B. Gregorius *lib.*5. *epiſt.*12. *ait*: „ Vos non tantum, atque Thomam, famulos Sanctę Romanæ Eccleſiæ, cui Deo adjutore deſervimus, liberos ex hac die, civeſque Romanos efficimus. “ Et apud Cajum *lib.*1. *Inſtit. tit.*1. *de libertatibus ſervorum*, §.2. Verbum *in Eccleſia*; ex Chriſtianis moribus irrepſiſſe notavit Samuel Petitus *ad jus Atticum l.*3. *c.*234. Ab hoc ergo novo Romanorum jure, tam Gothi, quam Franci manumiſſionem hanc in Eccleſia faciendam acceperunt, de qua, & ejus ſolemnitatibus agunt Guillelmus Fornerius *l.*1. *ſelect. c.*4. Juſtelus *in notis ad canones Eccleſiæ univ. pag.* 71. Guellar. *de manumiſſ.* 2. *p. n.*86. I. Gothofredus *in dict. l.* 1. *C. Theodoſ. de manumiſſ. in Eccleſia*, Balduinus, Binius, & alii Inſtituarii *in §. multis, Inſtit. de libertinis.*

4 His ita ſuppoſitis circa manumiſſionem eorum ſervorum, qui

De manumiſſis in Eccleſia.

De aliis manumiſ.

qui in privatorum poteſtate, & dominio erant, nunc agendum eſt de manumiſſione ſervorum Eccleſiæ; & quia illis primis Eccleſiæ temporibus patrimonium Eccleſiarum prædiis, domibus, navibus, & ſervis conſtabat, & ex eis aliqui manumittebantur, ut clerici ordinarentur; Patres Concilii Tolet. certam formam preſcripſerunt ſervandam in manumiſſione illorum, qui ſacris ordinibus cooptandi erant, quam ex Concilio noſtro referunt Ivo Carnotenſis, 1. *par. Decreti*, *c.*133. Bruchardus *lib.*2. *Decreti*, *c.*32. *ibi*. „ De clericorum vero ſervis eſt decretum, ut Archiepiſcopi per ſingulas provincias conſtituti noſtram auctoritatem ſequantur; ſuffraganei vero illorum exemplar penes ſe habeant, & quandocumque de familia Eccleſię aliquis utilis inventus ordinandus eſt, in ambone ipſa auctoritas coram populo legatur, & coram Sacerdotibus, & omni Clero, ante cornu Altaris, ſicut in noſtra auctoritate continetur, remota qualibet calliditate; libertatem conſequatur, & tunc demum ad gradus Eccleſiaſticos promoveatur. “ Eam admiſerunt Galli, ut conſtat ex *l.*1. *c.*188. quam manumiſſionis formam cum Patres preſcripſiſſent obſervandam in manumittendis ſervis Eccleſiæ, ſtatuerunt deinceps, ut laici inſtruerentur, ut ſervos, quos caſtris Dominicis aggregare decreverint, non per denarium, vel alium modum, ſed in Eccleſia, juxta ſupra præſcriptam formam, manumitterent, ut clerici fieri poſſent; & ut hoc ſtatuerent, ni fallor, præſens canon editus fuit, quod & ſtatutum reperio *in d. lib.* 1. *c. Caroli, & Ludovici*, in hæc verba: „ De Eccleſiarum vero ſervis communi ſententia decretum eſt, ut Archiepiſcopi per ſingulas provincias conſtituti noſtram auctoritatem, ſuffraganei vero illorum exemplar illius penes ſe habeant; & quandocumque de familia Eccleſiæ utilis inventus aliquis ordinandus eſt, in ambone ipſa auctoritas coram populo legatur, & coram Sacerdotibus, vel coram fidelibus laicis, ante cornu Altaris, ſicut in noſtra auctoritate continetur, remota qualibet calliditate, libertatem conſequatur, & tunc demum ad gradus Eccleſiaſticos promoveatur. Similiter quoque de his agendum eſt, quos laici de familia Eccleſiarum ad ſacros ordines promoveri voluerint. Sed & de his, quos Præpoſiti Canonicorum, aut monachorum ordinandos expetiverint, eadem forma ſervanda eſt. “

c *In alio loco.*) Id eſt, non judicio, ſeu apud Principem, cum denarii jactatione.

d *Aggregari decreverunt.*) In integra hujus canonis contextura,
5 & ſerie non agitur de ſervis donatis, aut traditis Eccleſiæ, ut in dominio ejus perſiſterent; ſed de ſervis donatis, aut traditis, ut clerici fierent, & ſic Dominicis caſtris aggregabantur, vel pro redemptione peccatorum, ut liberi perſiſterent, & plena ingenuitate fruerentur, vel ut ſacris ordinibus initiarentur. De his agitur in verbis ſupra relatis: de primis in calce hujus textus. In gratiam enim Eccleſiæ, ut clerici fierent, plerumque domini ſervos manumittebant, præcipue cum ſervi adeo bonæ indolis erant, ut Eccleſiæ Antiſtites de illis in Clerum promovendis cogitarent; tunc enim eorum domini illis relaxabant vincula ſervitutis, & manumittebant, ut ſoluti a laico mancipatu in caſtra Dominica, & Chriſti familiam tranſirent; quam manumiſſionem non in alio loco, quam in Eccleſia faciendam Eccleſiæ Patres ſtatuerunt. Totum probat mire charta quædam ingenuitatis continens manumiſſionem apud Vvatonem Diaconum, ex quo tranſcripſit Lemaiſtre *l.*3. *de juribus Eccleſiæ*. *c.* 8. his verbis; „ Auctoritas Eccleſiaſtica patenter admonet, inſuper & poteſtas Regia canonicæ religioni adſenſum præbet, ut quemcumque ad ſacros ordines ex propria familia promovere Eccleſia quæque elegerit, in præſentia Sacerdotum, Canonicorum ſimul, & nobilium laicorum, & ejus, cui ſubjectus eſt, manumiſſio ſub libertatis teſtamento ſolemniter roboretur. Idcirco ego in Dei nomine Engildruda quondam meum famulum nomine Sigimarum ſacris ordinibus dignum in præſentia nobilium virorum, liberum ab omni vinculo ſervitutis dimitto. “ Eam etiam refert Fornerius *l.* 1. *ſelect. c.* 4. ex qua formula manifeſte conſtat, olim manumitti ſervos in Eccleſia juxta electionem Epiſcopi, & votum ipſius domini, ut clerici fierent.

e *Extra Eccleſiam.*) Per manumiſſionem denarialem, videlicet coram Rege.

f *Ingenuitatis.*) Sed quomodo ingenuitatem conſequitur li-
6 bertus, qui natalibus a Principe non eſt reſtitutus? Sed duplici modo reſponderi poteſt. Primo manumiſſos in Eccleſia ex conſtitutione Conſtantini ingenuitatem conſequi, ut ex Nicephoro ſupra retuli. Secundo Barbaris undique Hiſpaniam, & Galliam occupantibus, libertinitatis, & ingenuitatis jura ab uſu receſſiſſe, & ſolam manumittentis voluntatem attendi: unde libertas ab illis ingenuitas appellabatur, & charta libertatis, ingenuitatis charta dicitur in Concilio Aureliano 4. *can.* 9. ibi: *Si de ſervis Eccleſiæ libertos fecerit Epiſcopus, in ingenuitate permaneant.* In pluribus legibus etiam Vviſigothorum, & Capitularibus Francorum congeſtis a Lindembrogio in Gloſſario, *verbo Charta libertatis*. Nec neceſſarium eſt noſtrum textum referre ad novellam novam Juſtiniani, cujus tempora adepti non fuerunt Patres noſtri Concilii Toletani. Etiam, reſponderi poteſt, ingenuitatem hic accipi pro libertate tantum, ut *in l. homo*, 21. *ff. de ſtatu hominum*, *l. cum pacto* 40. *ff. de liberali cauſſa*, *l. ult. C. de patria poteſt.* Notarunt Goveanus *lib.*1. *variarum*, *c.* 37. Oſualdus *lib.* 2. *Donelli*, *c.* 10. *lit. B.*

g *Præcaveri debet.*) Ideſt, ut ante manumiſſionem, nec cle- 7
ricus, nec ſacerdos ordinetur. Temporibus enim hujus Concilii ſpe tantum, quia ſervi dati erant, ut manumitterentur, clerici fiebant, ut liquet *ex cap.* 2. ibi: *Deinceps, hoc tit.*

h *Non ſolum autem.*) Hæc verba, quæ ab Ant. Auguſt. ſu- 8
perioribus annectuntur, & conjunguntur, tamquam ex diverſo canone referuntur a Carnotenſi *p.*6. *Decreti*, *c.* 130. Burchardo *lib.*2. *Decreti*, *c.*29. Loayſa *in Concilio Tolet.* 1. *pag.* 57.

i *Pro remedio animæ ſuæ.*) Salutis æternæ ſtudio incumbentes
antiqui Eccleſiæ fideles, ſervos ſuos manumittebant pro re- 9
medio animæ ſuæ, ideſt pro redemptione peccatorum ſuorum, ut ex veteribus manumiſſionum formulis facile conſtat. Marculfus *lib.*2. *form. c.*32. *&* 33. eam refert: „ Dilecto ſuo illi, aut illi. Pro reſpectu fidei, ac ſervitutis, quam mihi famularis, pro remiſſione peccatorum meorum, te ab omni vinculo ſervitutis abſolvo. *Aliam refert Incertus auctor c.* 13. Dum omnipotens Deus non præcipit in hoc ſæculo ſanum corpus habere, oportet nobis pro ſalute animæ noſtræ frequentius cogitare debere, & aliquantulum de peccatis noſtris minuendis: ut in futurum Dominus veniam mihi præſtare dignetur, ſervum juris mei nomine illum relaxavi ingenuum, ea vero ratione, ut a die præſente ſis bene ingenuus, tamquam ſi ab ingenuis parentibus fuiſſes procreatus. „ Aliam tradit Loayſa *ubi ſup. pag.* 57. & aliam ex ſaxo Aureliæ ad templi portam inciſo Fornerius *l.* 1. *ſelect. c.* 4. 10

k *In pacto Francorum.*) Ideſt in jure, & eorum lege, plerumque enim lex dicitur pactum, & pactum lex, *l. juris gentium 7. quinimo*, *ff. de pactis*, *l. hanc legem*, 22. *l. comprehenſum* 60. *ff. de contrahend. empt. l.*3. *final. de lege commiſſoria*, Briſſonius *de V.S. verbo Lex*. Hujus legis Francorum verba exiſtimo reperiri *in tit.*54. *legum Ripuariorum*, ibi: „ Hoc etiam jubemus, ut qualiſcumque Francus, Ripuarius, ſeu Tabularius, ſervum ſuum pro animæ ſuæ remedio, ſeu pro pretio ſecundum legem Romanam liberare voluerit, ut in Eccleſiam coram Presbyteris, Diaconibus, ſeu cuncto Clero, & plebe in manu Epiſcopi ſervum cum tabulis tradat, & Epiſcopus Archidiaconum jubeat, ut & tabulas ſecundum legem Romanam, qua Eccleſia vivit, & ſcribere faciat, & tam ipſe, quam omnis procreatio ejus liberi permaneant, & ſub tuitione Eccleſiæ conſiſtant, vel omnem redditum ſtatus, aut ſervitium tabularii eorum reddant. Et nullus tabularius denarium ante Regem præſumat jactare. Quod ſi fecerit, CC. ſolid. culp. jud. & nihilominus ipſe tabularius, & procreatio ejus tabularii perſiſtant, & omnes redditus ſtatus eorum ad Eccleſiam reddant, & non alibi, niſi ad Eccleſiam, ubi relaxati ſunt, malum teneant. Quod ſi quis tabularium, ſeu Eccleſiaſticum hominem contra Epiſcopum defenſare voluerit, LX. ſolid. culp. jud. & inſuper hominem cum omnibus rebus ſuæ Eccleſiæ, reſtituat, quia inolitum ducimus, quod Eccleſiis conceſſimus, iterum ab Eccleſiis revocare. “ Ex hac autem manumiſſione ita in Eccleſia facta liberti remanebant ſub patrocinio, & tuitione Eccleſiæ, magnaque privilegia aſſequebantur, quæ referunt Lemaiſtre *l.*2. *de jurib. Epiſc. c.*3. 8. *&* 9. Bignonius *ubi ſupra*: unde Orientalis Eccleſia decrevit, ut manumiſſiones in Eccleſia fierent eo more, quo in Italia celebrabantur, *can.* 64. *Eccleſiæ Africanæ*, ibi: *De manumiſſionibus, ut in Eccleſia celebrentur, ab Eccleſia poſcendum.* Non tamen in omnibus Eccleſiis manumiſſiones celebrari poterant, ſed ubi eſſet Epiſcopus, aut ſacerdos: quare in monaſteriis fieri non poterant. Unde Gregorius Magnus *lib.*2. *regeſtri*, *ep.* 24. *indict.* 10. concedit cuidam monaſterio privilegium, ut in ejus Eccleſia ſervi manumitti poſſint, his verbis: *Manumiſſiones apud te in eadem Eccleſia ſolemniter celebrari concedimus.*

CAPUT II.

a *Ex eodem Concilio.*

DE ſervorum ordinatione, qui paſſim ad gradus Eccleſiaſticos indiſcrete *b* promoventur placuit omnibus cum ſacris *c* canonibus concordare. Statutum eſt, ut nullus Epiſcoporum deinceps aliquos ad ſacros ordines promovere præſumat, niſi prius a dominis propriis libertatem conſecuti fuerint; & ſi quilibet ſervus dominum ſuum fugiens, aut latitans, aut adhibitis teſtibus munere conductis vel corruptis, aut qualibet calliditate, vel fraude ad gradus Eccleſiaſticos pervenerit, decretum eſt, ut deponatur, & dominus ejus eum *d* recipiat. Si vero avus, vel pater ab alia patria in aliam migrans in eadem provincia filium genuerit, & ipſe filius ibidem educatus, & ad gradus Eccleſiaſticos promotus fuerit, & utrum ſervus ſit, *e* ignotum ſit, & poſtea veniens dominus illius, *f* legibus eum acquiſierit, ſancitum eſt, ut ſi dominus ejus libertatem dare voluerit, in gradu ſuo permaneat: ſi vero eum catena ſervitutis a caſtris Dominicis abſtrahere voluerit, gradum amittat, quia juxta ſacros *g* canones vilis perſona permanens ſacerdotii dignitate fungi non poteſt.

BIBLIOTECA CENTRAL

NOTÆ.

a EX *eodem Concilio.*) Videlicet Toletano, ex quo præſentem textum referunt Burchardus, *l.2. Decreti*, *c.* 31. Ivo Carnotenſis *par.6.decreti*, *c.*132. Anton. Aug. *in* 1. *collect. ſub hoc tit.c.*1. Gratian. *in c. de ſervorum*, 54.*diſt.* Concilium Lateran. ſub Alexand. III. *par* 50. *cap.*56. Loayſa in Concilio Toletano 1. *can.* 58. ſed in nullo ex Conciliis Toletanis hucuſque editis hæc verba referuntur, reperiuntur tamen in Capitul. Caroli Magni: *l.* 1. *c.* 88. & in ſuperioris textus notis retuli: quare aut textus iſte tranſcriptus eſt *ex d.c.*88. aut ex aliquo Concilio Toletano nondum excuſſo.

b *Promoventur.*) Nota ex his verbis, temporibus Concilii Toletani 1. ſervos adhuc non manumiſſos, ſpe tantum manumiſſionis ad ordines promotos fuiſſe; quod & in ſuperiori textu obſervavi.

c *Sacris canonibus.*) Videlicet *can.*82. *Apoſt. Servi in Clerum non ordinentur.* Et *can.* 1. Synodi apud Melfiam: *Cavendum eſt, ne homines ſervilis conditionis promoveantur in Clerum.* Et aliis in confirmationem concluſionis adducendis.

2 d *Eum recipiat.*) Quia per fugam ſervi dominus non privatur dominio, neque poſſeſſione ſervi interim, dum ab alio non poſſidetur, *l.ſervi* 17. *§.fin.ff. de furtis*, Giphanius *in l.*1. *§.* 14. *ff.de acquir.poſſ.* Valentia *t.*1. *illuſtrium*, *tr.*2. *c.*10. In hac tamen ſpecie jure civili Romanorum ſervus puniendus erat, quia non ſolum fugam fecit, verum & pro libero ſe geſſit, *l.*2. *ff. de ſervis fugitivis:* in qua parte de fugitivis ſervis obſervandi ſunt textus *in l.quæro*, *l.mora*, *ff.de verb. obl. l. ſi libertus*, *ff.de operis libert.l.arborib.*12. *§. de illo*, *verſ.Idem*, *ff.de uſufruct.l.ſi ſervum* 15. *ff.de publicana*, *l.Julianus* 13. *§.*1. *ff.de actionibus empti*, *l.ut tantum* 14. *§.ult.ff.de ſervo corrupto*, *l.*2. *C.de petit. hereditatis*, *l.*3. *§. ſed ſi homini*, *ff. de alienatione judicii*, *l.*4. *§.*1. *ff.de aqua pluvia*, *l.*1. *§.ult.ff.quæ res pignori*, Paulus *l.*1. *ſent. tit. de ſervis fugitivis*, Papinianus *apud Rufinum in collat.legum Moſaicar. tit.* 7. *de ſervis fugitivis inquirendis*, *l.ſervus* 82. *ff. de legat.*3. *l.qui hominem* 34. *§.& cum* 5. *l.fugitivus* 15. *ff. de ſolutionibus*, *l.*1. *C de dilat. l.*4. *§.ſi quis fugitivum*, *ff. de doli except.l.*17. *§.illud*, *l.*53. *§.*1. *l.ancilla* 62. *ff. de furtis*, *l.*22. *§.fugitivus*, *ff. mandati*, *l.*10. 11. *&* 12. *ff. de liberali cauſſa*, juncto Cujacio *lib.* 22. *obſerv. cap.* 30. *& lib.* 27. *cap.* 18. Revardo *lib.* 5. *variar. cap.* 20. & de eis agemus *in* 4. *de rerum permut.*

3 e *Ignotum ſit.*) Quo caſu omnia ab eo geſta vires habent, juxta legem *Barbarius*, *ff.de officio Pretor.* & ibi tradita a Jacobo Gothofredo, & Maqueda, Caldeira *l.*2. *variar. c.*7. Roberto *lib.*1. *animadv. c.*18. Madera *animad. cap.*6. Salmaſio *ad jus Atticum*, *cap.*14. Coſtano *qu. juris cap.*11. Heraldo *lib. unico emend. cap.* 4. Amaya *in l.* 2. *C. ſi ſervus aut libertus*, *lib.* 10. Bronchorſt. *centuria* 1. *aſſertione* 7. Pancirola *lib.* 2. *variar. c.* 13. Vviſembac. *diſput.* 17. *theſi* 10. Perezio *ad tit. Cod. de teſtam.* notavi *in c. dudum*, *de elect.*

4 f *Legibus eum acquiſierit.*) Non Romanis; nam jure civili Romanorum filius natus ex ſervo meo non eſt in mea poteſtate, ſed liber, ſi mater erat libera; ſi vero ancilla, in dominio ejus, cujus mater erat, *l.& ſervorum* 5. *§.*1. *l.lex* 24. *ff. de ſtatu hominum*, *§.ſervi*, *Inſt.de jure perſon.* dicemus late *in c. finali*, *hoc tit.* Legibus ergo Vviſigothorum filius fugitivus ſequebatur conditionem patris, & dominus non ſolum patrem fugitivum, verum & filium vindicare poterat, *l.*16. *tit.*1. *l.*9. *legum Vviſigothor.* „ Quia ſæpe dum ſervi dominos ſuos fugiunt, „ mentientes ſe eſſe ingenuos, mulieribus ingenuis contra legum decreta in conjugio copulantur; ideo hujus legis valitura promulgatione decrevimus, ut ſi quis ſervus in fuga „ poſitus, vel quibuſcumque modis de jure domini ſui evagans, ad quemlibet pervenerit, utrum ingenium ſe eſſe dicat, aut fortaſſe non dicat, & ſub hac occaſione ingenuæ mulieri petierit copulari, quidquid de tam inhoneſta conjunctione fuerit procreatum, conditionem patris ſequatur, ut dum „ ejus dominus advenerit, non ſolum eumdem fugitivum, ſed „ & filios exinde progenitos, omneque eorum peculium ſuo debeat vindicare dominio.“ Unde noſter textus referendus eſt ad leges patrias Gothorum, non vero ad jus commune.

g *Sacros Canones.*) Concilium Triburienſe *can.* 29. *Quia non debet vilis perſona fungi ſacerdotii dignitate.* Et *c. multos* 23. 54. *diſt.*

COMMENTARIUM.

5 *Concluſio refertur, & probatur.* EX his duobus canonibus ſequens deducitur aſſertio: „ Servi ante plenam manumiſſionem ordinari non debent, „ & fraudulenter ordinati, ignorantibus dominis & Epiſcopo, deponuntur, & dominis reſtituuntur.“ Probant eam textus *in can.* 81. *Apoſt. c. non ſidat*, 50. *diſt. c.* 1. *verſ. Vel ſervilis*, *c. ult. verſ. Qui ſervili*, 51. *diſt. cap. nulli*, *cap. de ſervorum*, *cap. ſi quis obligatus*, *c. de rebus*, *in fine*, *cap. ex antiquis*, *cap. frequens*, *diſt.* 55. *c. qui vero*, *§. neminem* 16. *q.* 1. *c.* 1. *in fine*, *de filiis presbyteror. c. de famulis*, 3. *c. eo libentius*, *hoc tit. c. per venerabilem*, *verſ. Præterea*, *qui filii ſint legitimi.* Synodus apud Melfiam ſub Urbano II. *c.* 1. *Cavendum eſt; ne homines ſervilis conditionis promoveantur in Clerum.* Concilium Aurelian. 3. can. 25. *Ut nullus ſervilibus, colonariiſque conditionibus obligatus; juxta ſtatuta Sedis Apoſtolicæ ad honores Eccleſiaſticos admittatur.* Triburienſe *c.* 29. Bituricenſe *c.* 11. *Ne Epiſcopus ſervos ordinet.* Lateran. 3. ſub Alexandro III. *par. ult. cap.* 56. Sexta Synodus *can.* 83. Vvormatienſis *cap.* 40. Chalced. *aſt.* 4. Rhemenſis *can.* 45. Tolet. 3. *can.* 8. Tolet. 4. *can.* 47. *Ingenui clerici, quia ſervi eſſe non poſſunt.* Illiberit. *can.* 80. Leo Pontifex *in epiſt. cap.* 1. *authent. ſi ſervus*, *C. de Epiſcopis*, *& clericis*, *novella* 9. *Leonis*, 115. *Juliani*, *l.* 18. *tit.* 6. *par.* 1. *l.* 6. *tit.* 22. *partita* 4. *lib.* 5. *c.* 10. *Legum Aleman. lib.* 1. *c.* 88. *capitul. Caroli Magni.* Alia juris teſtimonia congerunt Ant. Auguſt. *in epit. lib.* 27. *tit.* 19. Creſpetius *in ſumma*, *verbo Servus*, Balſamon *in Nomocan. tit.* 11. *c.*3. Vighellius *in meth. juris Pontif. pag.* 239. Illuſtrant ultra congeſtos a Cenedo *ad Decretum collect.* 61. Barboſa *in præſenti*, *& de poteſt. Epiſc. allegat.* 10. *n.* 45. Acunna & Dartis *in* 54. *diſt.* Turrianus *pro canonibus Apoſt. cap.* 13. Petrus Gregorius *lib.* 4. *partit. tit.* 22. *c.* 3. Lantdmeter. *lib.* 2. *de veteri monach. cap.* 15. Mendoza *lib.* 3. *Concilii Illiberit. cap.* 83. Eſpenceus *lib.* 2. *digreſſ. c.* 18. P. Faber. *lib.* 3. *Agoniſticon. cap.* 17. Lindembrogius *in Gloſſario legum antiquar. verbo Servi ad ſacros*, Zerda *in adverſ. cap.* 134. Coſquetus *ad Innocent. lib.* 3. *epiſt.* 7. Souchetus *ad epiſt. Ivonis*, *epiſt.* 14. 132. *&* 147. Sirmundus *in notis ad capitul. Caroli*, *in fine*, Fornerius *lib.* 6. *rerum quotid. c.* 30. Sauſay *in Panopl. cleric. part.* 2. *lib.* 1. *c.* 10. *pag.*671. Vvadingus *in notis ad opera D. Franciſci*, *t.* 2. *pag.* 236. Baronnius *ann.* 60. *n.* 40. Gibalinus *de irregul. cap.* 3. *q.* 5. Leo Pinellus *in d. c. per venerabilem.*

6 *Ratio dubitandi.* Sed pro dubitandi ratione adverſus hanc aſſertionem ita illuſtratam intendam probare, eam non ſolum juri divino, verum & civili, & canonico contrariam eſſe; & probo *ex c.*23. *Deut.* ubi cavetur, ut ſi ſervus fugerit a domino ſuo, & ad Iſraeliticam profeſſionem convertatur, etiam renuente domino ſuſcipiatur. Et in lege gratiæ expreſſe diſponitur, tam liberos, quam ſervos homines ad Sacramenta Eccleſia admitti, nec circa Sacramenta dari aliquam acceptionem perſonarum. Ex quo Apoſtoli teſtimonio deducit Pontifex *in c.*1. *de conjug. ſervorum*, ſervos invitis dominis poſſe matrimonium contrahere: igitur ſimiliter & ad ſacros ordines aſcendere valent, cum valeat argumentum de matrimonio carnali ad ſpirituale, *c.cum inter*, *de transl. Epiſ.* Juri etiam civili Romanorum prædictam concluſionem adverſari probatur ex eo; nam licet jus civile adeo ſervos neglexiſſet, ut inter quadrupedes enumeraſſet, *princ.Inſtit.de leg. Aquil.* in his tamen, quæ ad ſacra, & religionem ſpectant, ut liberos homines agnoſcit: unde licet nulla actio ex civili cauſſa contra eos detur, *l.cum ſervo*, *ff.de reg.juris;* tamen actio ſepulchri violati, quia ad religionem pertinebat, in eos datur, *l. ait Prætor*, *§.final.ff.de ſepulchro violato;* & illis cuſtodia templorum, & monumentorum plerumque commendabatur; *l.Mævia* 44. *ff.de manum. teſtam.l.libertis* 18. *§.cibaria*, *ff.de alimentis legatis*, *l.Titio centum*, *§. Titio*, *ff. de condit. & demonſtr.l.ſervo* 35. *ff. de liberali cauſſa;* ſive ut templa cuſtodirent, ut exponunt Fornerius *lib.*3. *rerum quotid. c.* 19. Barthius *lib.*10. *adverſ. cap* 10. Amaya *lib.*1. *obſerv. c.*6. vel ut roſas certis temporibus ſpargerent, ut exponit Tamayo de Salazar *t.*2. *martyr. die* 17. *Martii:* & in templo Herthi tantum ſervi ad ſacrificandum admittebantur, ut ex Tacito refert Elias Schedius *de Diis Germ. c.*9. *pag.*151. Juri etiam Eccleſiaſtico repugnare præſentem aſſertionem ſuadetur ex eo, nam nulla præcedente juſta manumiſſione, ſervos Eccleſiæ ab Epiſcopo ordinari conſtat ex Concil. Tolet. 9. *can.*11. relato *in c. qui ex familiis*, 50. *diſt.* Concil. Emerit. *can.*18. licet enim Epiſcopi ſervos Eccleſiæ manumittere poſſint adhibita ſolemnitate, quæ præſcribitur in alienatione rerum Eccleſiæ: tamen eos ſacris ordinibus initiando ſine ſolemnitate manumittere poſſunt: igitur ſervi abſque manumiſſione ordinari valent. Secundo ea pars aſſertionis, ubi docetur ſervos per dolum & calliditatem ignorantibus dominis ordinatos deponi debere, & priſtinis dominis reſtitui, difficilis videtur ex eo; nam quælibet res ignorante dominio conſecrata, ipſi eam repetenti non redditur, *c. comperimus* 14. *q. ult.* cum vulgatis; igitur ſimiliter ſervus alienus conſecratus ignorante domino, illi reſtitui non debet.

7 *De ſervorum ordinatione.* His difficultatibus minime obſtantibus, vera eſt præſens deciſio, & omni juri, & rationi conſona, atque diſciplinæ Eccleſiaſticæ conſentanea. Jam enim a temporibus SS. Apoſt. apud omnes prohibitum reperitur, ne ſervi, niſi præmiſſa libertate, ſacris initientur ordinibus. In noſtra Hiſpania jam id prohibitum fuiſſe conſtat ex Concilio Illiberit. Emeritenſi, & Toletanis ſupra adductis. In Eccleſia Orientali id vetitum fuiſſe, probatur ex adductis a Balſamone *in Nomocan. d. tit.* 11. & *ex can.*83. *ſextæ Synodi.* In Eccleſia Gallicana probatur ex Concilio Aurelian. Rhemenſi, & Pictavienſi. In Italia ex dicto Concil. Later. & aliis ſupra relatis. Sed quia in his Conciliorum canonibus, & Pontificum decretis varii proponuntur caſus circa ordinandos ſervos, vel non, invitis, aut ignorantibus dominis, eos breviter, & ſigillatim, antequam ad rationem noſtræ concluſionis perveniamus, percurramus. Primus caſus contingit, cum ſervus ordinatur præſente, & conſentiente domino ſuo, & tunc rite ordinatur, quia dominus ſinendo eum caſtris dominicis aggregari, manumiſiſſe cenſetur, *c. ſi ſervus* 54. *diſt. authent. ſi ſervus*, *C.de Epiſc. & cleric.* argumento textus *in l.ſicut*, 48. *ff.de operis libert.l.*3. *§.*7. *Cod. eod. tit. l.*2. *§.*1. *ff.ad municip.* ut etiam apud Romanos tacite libertas ſervo data cenſebatur, ſi dominus eum ſciens, prudenſque admitti ſinebat ad actum, qui a liberis hominibus tantum celebrari poterat: Cajus *lib.*1. *Inſt. tit.*1. *§.*2. Papinianus *reſponſ. tit.*43. unde ſervus a domino adoptatus, quia niſi liber adoptari non valebat, Latinam conſequebatur libertatem, *§.fin. Inſt de adopt. l. unica §.* 10. *Cod. de Latina liber.* vel ſi domini voluntate ſervus menſæ ſuæ accubuiſſet, quo caſu etiam libertatem Latinam aſſequebatur. Tertullianus *lib. de reſurrect.* ibi: *Atque & veſtis albæ nitore, & annuli honore, & patroni nomine, Tribu, menſâque honoratur.* Cum proprium eſſet ſervorum dominis convivantibus miniſtrare, quem caſum, ſeu modum aſſequendi libertatem, pro expoſitione Concilii Toletan. 12. *can.* 3.

*can.*3. illuſtravimus *in c. reprimendum* 8. *de offic. ordin.* etiam dominus ſervo ſuo bullam prætextatam imponendo, ancillam matronali veſte ornando, libertatem præſtabat, ut probat Merillus *lib. obſerv. c.*14. ſi domini juſſu tabulas teſtamenti ſignavit, hoc eſt, ut teſtis adhibitus fuit; quia cum alii, quam liberi in teſtimonium non vocarentur, Artejus Capito apud Macrobium *l.*7. *c.*13. *l.*7. *ff.de teſtibus*, *l.*12. *C.de eod. tit. novella* 9. *c.*6. *novella Leonis* 49. ex voluntate domini in libertate morabatur. Quintilianus *declamat.*330. *&* 342. ſi ancilla habitu matronæ incedat, vel ſervus togam ſumpſerit. Idem *declamat.* 342. „ An vero majus in „ hoc putamus eſſe momentum, ut circumverteres mancipium, „ aut ſi una voce liberum eſſe juſſeris, quam ſi habitum dederis, „ ſtolam dederis? quod in manumiſſis quidem omnibus contingit. Apertius *Svetonius* de claris Rhetoribus, *his verbis:* Venalitii cum Brunduſii gregem venalium e navi educerent, famoſo, & pretioſo puero, quod portitores verebantur, bullam „ & prætextam togam impoſuere, facile fallaciam celarunt: „ Romam venitur, res cognita eſt; petitur puer, quod domini „ libertate fuerit liber in libertatem.“ Si ſervus vel ancilla domino ſciente matrimonium contraxerint: *l.unic.§.*1. *C. de Latina libert.* Si in numeros militiæ referatur, *l.*3. *§.*6. *C. de bonis libert. juncta l.*6. *&* 7. *C.qui militare poſſunt*, *l.*12. Si ſervus volente domino ut arbiter electus ſit. Quint. *d.declam.*342. *Judex inter duos convenerit, & ſententiam tulerit volente domino, liberum eſſe voluit.* Item ſi dominus ancillam in concubinatu admiſerit, *l.finali*, *ff. de divortiis*, *l.*121. *§.*1. *ff.de verb.obl. l.fin.C. communia de manumiſ.* Paulus *l.*2. *ſentent. tit.*20. Probant Schifordeg. *l.*3. *tr.*25. *q.*2. Donellus *in d.l.*121. Othomanus *de V. S. verbo Concubina*, Arias de Meſa *l.*3. *variar. c.*38. Ita & ſinendo ipſum ſacris veſtibus ſacerdotalibus decorari, & ad ſacrificandum in altari adhiberi, manumiſiſſe præſumitur, *novella* 123. *Juliani*, *c.*26. Secundus proponitur caſus, cum ſervus ſciente domino, ſed renuente, ordinatus eſt; quo caſu ſi dominus intra annum non repetierit, liber, & clericus manet, *d.c. ſi ſervus*, *novella Leonis* 10. *l.*6. *tit.* 2. *par.*4. ſed ſi dominus velit eum repetere, deponendus eſt, & domino reſtituendus, *c. ex antiquis*, *c. quis aut leges* 54. *diſt.*

8 *Proſequitur alius caſus.* Tertius caſus evenit cum domino ignorante, & abſente ſervus ordinatur; & tunc ſi tantum minoribus ordinibus initietur, domino traditur, *c. de ſervorum* 6. 54. *diſt.* ſi vero majoribus, diſtinguendum eſt, utrum Epiſcopus ignarus ejus conditionis, an vero ſciens illum ordinaverit. Si ignorans fecit, tenetur ordinatus per ſe vicarium, ideſt alium ejuſdem valoris domino tradere; non autem æſtimatur juxta pecuniariam æſtimationem, ſed juxta corporis magnitudinem, ut in veteri charta Alemanica legitur, *t.*2. *antiq. part.*1. *Si Hacco, qui eſt in concambio cum Vvichardo, ſe redimere vult, det aliud mancipium* 11. *manuum longum.* Refert Lemaiſtre *l.*3. *de jurib. Eccleſiæ*, *c.*4. Si autem ſciens Epiſcopus eum ordinaverit, tenetur præſtare duos ſervos; vel Eccleſiæ, ſi ſervus Eccleſiæ ordinatus erat, vel domino, ſi in privati dominio erat, *c.ſi ſervus* 19. *diſt. c.ſi Epiſcopus* 12. *q.*2. *c.per venerabilem*, *qui filii ſint legitimi:* quo caſu exaudiendus eſt textus *in c.*2. *de regul. in integra:* & per anni ſpatium Miſſas dicere non valet; Concilium Aurelian. 2. *can.*25. Petrus Gregor. *l.* 13. *de repub. c.*16. Et licet cum Epiſcopus rem, vel ſervum Eccleſiæ ſine ſolemnitate alienavit, teneatur tantumdem reddere, *c.ſi quis qualibet*, *c.Epiſcopus qui mancipium*, *c.de libertis* 63. *cum ſeq.*12. *q.*2. & conſecrando alienam rem, teneatur ejus æſtimationem tantum domino ſolvere, *c. comperimus* 14. *q. ult.* tamen pro ſervo ordinato duos præſtat proprio domino; cujus diſcriminis rationem ex eo deducit Turriſcremata *in d. c. ſi Epiſcopus*, quia in caſu ordinationis ſervi alieni, privat dominum ſervi dominio, & jurepatronatus, quem poſt manumiſſionem dominus retinere debebat; quare Epiſcopus duos ſervos præſtat, unum pro dominio ſervi, alium pro jurepatronatus. Sed hac omiſſa diſcriminis ratione, placet illa communis, quæ a Veſpertinis Anteceſſoribus communiter affertur, videlicet in pœnam tam improbæ ordinationis ſtatutum fuiſſe, ut duos ſervos domino redderet: ſed ſi non habet Epiſcopus ſervos, quod reddat, eorum æſtimationem ſolvere cogitur ex noſtro textu. Unde in hac parte notandum eſt diſcrimen quod verſatur inter utrumque jus; nam jure civili res aliena inſcio, vel ignorante domino non poteſt conſecrari, *l. ſacra* 9. *§.* 1. *ff. de rerum diviſ.l.ab agnato* 12. *ff.de curatore furioſi*, *l.*3. *ff.de litigioſis:* quia cum per conſecrationem eximatur ab uſu, & commercio privato, *l.verum* 63. *in fine*, *ff.pro ſocio*, *l.ſponſus* 5. *§.proinde* 12. *ff.de donat. inter.* Cujacius *l.*9. *reſponſ. Papin. in in l.ſervo* 35. *ff. de liberali cauſſa;* conſequens eſt, ut non poſſit domino auferri ſine ejus voluntate. Docet Donellus *l.* 4. *comment. c.* 1. Jure autem canonico aliud obſervatur, quia licet res aliena conſecretur invito domino, manet tamen conſecrata, nec amplius uſibus humanis poteſt deſervire, *c. comperimus* 2. 14. *q.* 6. regula *Semel*, *de regulis juris in* 6.

9 *Traditur ratio aſſertionis.* His animadverſis, ratio præſentis prohibitionis, ne videlicet ſervi ante plenam manumiſſionem ordinentur, ea redditur a ſanctis Patribus, ne videlicet vileſcat clericalis ordo, ſi ſervi adhuc mancipati dominorum ſervitio, ſacris altaris miniſteriis aſſocientur; divini enim miniſterii dignitas ſervilis conditionis vilitate dedecorari non debet, *c. quicumque*, *in fine*, *c. generalis*, 54. *diſt. lib.*1. *Capitular. c.*82. Quæ ratio illuſtratur ex ſequentibus. Primo ex Philoſopho *l.*7. *polit. c.*9. ubi vetat, ne ad ſacerdotium viles perſonæ admittantur; quod & priſca Romuli legi cautum fuiſſe refert Halicarnaſſeus *l.*2. & apud ipſos Romanos virgo Veſtalis capi non poterat, cujus parentes, alter, ambove in ſervitute eſſent. Refert Gellius *l.*1. *noctium*, *c.*12. & in inſula Coo, ubi Junonis ſacra fiebant, ſervis nec templum ingredi permittebatur, ut refert Athenæus *l.*6. *&* 14. ex Dipnoſophiſta, ut ex eo tradit Fornerius *l.*6. *rerum quotid. c.*30. Ob eamdem etiam utilitatis rationem apud Romanos ab omni prorſus dignitate, & officio ſervi arcebantur, nec ad Stratoris munus admittebantur, *l. obſervare* 4. *ff.de officio Proconſulis*, juncto Goveano *l.*1. *variar. c.* 42. nec inter athletas ad ludos gymnaſticos admittebantur, ut probat P. Faber *l.*3. *agon. c.*17. plura doctus noſter D. Franciſcus de Amaya *in l.*1. *C. ſi libertus:* nec orabant, nec teſtimonii dictionem habebant: Terentius *in Phorm. actu* 2. *ſcena* 1. nec capaces erant offerendæ precis, *l.*1. *Cod.de precib. Imper.* perſonam legibus non habebant, ut ait Caſſiodorus *l.*6. *variar. c.*8. imo & ſervos, non homines, ſed corpora veteres dicebant, ut notavit Hieronymus Magius *l.* 1 *miſcell. cap.* 12. & adeo inter quadrupedes eos Romani enumerabant, ut cum hominum proprium ſit ali, animalium vero paſci, ut probat Cujacius *in l. ſuper creandis*, *C. de jure fiſci*, cum de ſervis Conſulti agunt, non eos ali, ſed paſci dicunt, *l. pro herede* 20. *§.*1. *ff. de acquir. heredit. l. ſed ſi vir* 31. *§. finali*, *ff.de donat. inter:* & ita quoad jus civile ſervi perſonam non habent, *l.quod attinet*, *ff.de reg. jur.* etſi in contrarium expendi ſoleant textus *in l.*21. *§* 1. *ff.ad l. Falcid. l. ult. C. de uſufructu.* Recte ergo Eccleſia ſervos, quos Gentiles ita abjectos cenſebant, ut ab officiis, & honoribus eos arcerent, nec pro perſonis quoad juris effectus habebant, a clericatus honore, & gradibus Eccleſiaſticis removet. Secundo illuſtratur præſens deciſiva ratio ex eo, nam valet argumentum de militia terreſtri ad cæleſtem, *c.*1. ubi notavi, *de renunt.* ſed ſervi arcentur ab omni militia terreſtri, *l.ab omni*, *l. qui ſtatus* 8. *ff.de re milit. l.quædam* 14. *ff.de pœnis*, *l.*2. *&* 3. *C. qui milit. poſſunt*, *l.*11. Plinius *l.* 10. *epiſt.* 30 *&* 31. Alex. ab Alex. *l.* 6. *dierum gen. c.*21. ubi Tiraquellus Juſtus Lipſius *de militia Romana l.*1. *dialog.*2. docent Stewechius *in notis ad Vegetium de re militari*, *l.*1. *c.*7. Olanus *l.*2. *Paralip c.*12. Salmunt. *ad Pancirol. t.*1. *memorab. tit.*61. *in fine*, Leo *de bellico apparatu*, *c.*19. *n.*8. facit Virgilius *lib.* 9. *Æneidos.*

—— *Quem ſerva Lycimnia furtim*
Suſtulerat, vetitiſque ad Trojam miſerat armis.

In qua parte obſervandi ſunt textus *in l.*3. *§.ſervus*, *C. de bonis libert. l. finali*, *C. de libertis*, ut plura Amaya, *l. ſi militi* 6. *ff.de caſtrenſi*, *l.argentarium* 44. *§.ult. ff. de judiciis*, *l. qui de libertate* 29. *ff.de liberali cauſſa*, *l.eos qui* 27. *§.ult. ff.ad legem Corn de falſis*, *l.*2. *C.de tyronibus*, *l.*12. *l.*8 *&* 16. *eodem tit. in Theodoſ.* ubi Gothofredus, *l.*1. *eod. Codice*, quid peculiare debeat ad militiam venire exponit, *l.*2. *§.ſi ſervus*, juncto Gothofredus *ibi*, *de acqui. poſſeſſ. l.*3. *ff.de officio Præfect. vigil.* Ulpianus *in fragment. tit. de Latinis*, *§ militia*, *l.*4. *Cod.de Præpoſitis ſacri cubiculi*, *l.*12. *l.ſi qui* 6. *§.ſed ſi quis*, *ff.de injuſte rapto*, *l.cum hic ſtatus* 32. *§ ſimilem*, *de donat. inter:* igitur ſi a militia terreſtri ſervi arcentur, etiam a cæleſti juſte removentur. Facit & illa ratio juſtitiæ, quæ repugnat ordinationi ſervorum. Nam vel debent ſervi ordinati extrahi a dominorum ſuorum ſervitio, vel debent ſervire dominis, & Eccleſiæ. Si extrahantur a dominorum ſervitio, committitur injuſtitia; nam facto alieno non debet quis privari ſuo dominio, *l.ſolvendo*, *ff.de negotiis geſtis*, *l.nam hoc natura*, *ff.de condit. indebiti:* quare ſervi dum in ſervitio domini ſunt, ordinari nequeunt. S. Leo *epiſt.*1. ibi: *Debet eſſe immunis ab aliis, qui militiæ divinæ fuerit aggregandus.* Notavit Lantdemet. *l.*2. *de veteri cleric. c.* 15. Vel ſervi ordinati intendunt manere in ſervitio domini, & in Eccleſia, cui adſcripti ſunt, miniſtrare, quod admitti non valet, quia nemo poteſt duplici militiæ inſervire, *l. is quidem* 5. *Cod. qui militare poſſunt*, *l.* 1. *§. illi qui*, *C. de Præpoſitis agentium in rebus*, *l. hac parte* 10. *C. de proxim. ſacror. ſcrin.* Ariſtot. *l.* 2. *polit. c.* 10. Caſſiodorus *l.* 9. *epiſt.* 21. ubi plura Fornerius. Facit etiam; nam ingenia ſervorum plerumque malis moribus corrupta ſunt, ut conſtat *ex l.* 3. *C. de libert. & eorum lib.* ibi: “ Nequitia reperitur ſervilis ingenii; *ubi notavit Gothofredus:* Salvian. de „ providentia Dei, ibi: Vitia ad ſervos relegata, eiſque adſcripta legimus, & animos conſerviles jam per ſe malos, „ dominorum nequitia fieri pejores. *Tacitus*, *quem refert Proſcus* ad Caſſiodorum lib. 3. epiſt. 43. ibi: Suſpecta majoribus noſtris fuerunt ingenia ſervorum.

Nec prima difficultas ſupra adducta adverſatur; nam licet in lege veteri ſervi ad Iſraeliticam converſionem admitterentur, & in lege gratiæ ad Sacramenta, ſicut aliæ liberæ perſonæ admittantur: tamen ab eccleſiaſtici ordinis gradibus arcentur, ex ſpeciali ſupra tradita ratione, ne videlicet vileſcat clericalis ordo: quæ ratio cum in matrimonio, & aliis Sacramentis non militet, quia poſt eorum receptionem poſſunt ſervi dominis ſuis debitum præſtare famulatum, ad illa admittuntur: ab Ordinis vero Sacramento ante plenam manumiſſionem removentur, cum incompatibile ſit caſtris ſacris aggregari, & nexui ſervitutis mancipatum manere. Nec obſtat quod dicebamus, ſervos jure civili admitti ad Sacerdotium, & alias dignitates; nam certum eſt, eo jure inſpecto tantum ad ea officia ſervos admitti, quæ potius oneris, quam honoris erant, de quibus *in l.*2. *ff. rem pupilli*, *l. Prætor*, *§. finalis*, *ff. de edendo*, *l.*3. *C. Theodoſ. de remunerariis*, *l. Thais* 11. *§. Sejo*, *ff. de fideicommiſſ. libertat.* Et licet in ordine & hierarchia officiorum ipſorum (quæ enumerat Pignorius de ſervorum officiis) poſſint ſervi reſpectu aliorum dignitatem obtinere, quo modo accipit textus *in l. ſed & ſi quid* 15. *§.* 2. *ff. de uſufructu*, *l. habitatio*, *§.* 1. *ff. de ventre in poſſeſſionem;* ad ſacerdotium tamen, vel ſimilem dignitatem non admittebantur, ſed tantum ad quædam officia, veluti ad cuſtodiam templorum, & ut in monumentis lucernas accenderent, quæ nihil commune habebant cum ſacerdotio. Neque, quod de ſervis Eccleſiæ expendamus, adverſatur; nam in illis juris locis, ubi docetur, ſervos Eccleſiæ ab Epiſcopo ordinari; ſupponenda eſt 10 *Diſſolvuntur difficultates.*

manumiſſio in Eccleſia celebrata, juxta formam ſupra relatam: nec in hac manumiſſione juſta alienationis cauſſa deerat, ſed maxima aderat, neceſſitas videlicet miniſtrorum Eccleſiæ. Quare præcedente manumiſſione recte poterat ſervus Eccleſiæ, ſicut privatorum, ordinari. Nec refragatur ſecunda difficultas ſupra expenſa; nam illi ſatisfaciendum eſt, diſcrimen conſtituendo inter res animatas conſecratas, invitis, & ignorantibus dominis: & inter res inanimatas. Primo caſu res animatæ, ut ſervi, poſt depoſitionem reddi debent priſtinis dominis, juxta diſtinctionem ſupra adductam, quam temporibus SS. Apoſtolorum cognitam non fuiſſe, ſuadetur ex canone 4. Apoſt. Secundo vero caſu tantum æſtimatio, non ipſa res præſtari debet, Barboſa *lib. de jure Eccl. c. 3. n. 31.* Diſcriminis ratio ex eo provenit; nam in rebus inanimatis ulla fraus, vel dolus perpendi non poteſt; in rebus vero animatis dari valet: unde ne ex dolo ſuo commodum conſequatur, videlicet ne priſtino domino reſtituatur, ideo deponi debet ſervus ita ordinatus, & domino reddi. Accedit, nam in rebus inanimatis, ut ſunt vaſa ſacra, conſecratio eſt in ſuperficie, in animatis vero in ipſa anima, ubi imprimitur character: unde ſi res inanimata domino reſtitueretur, per tactum poſſet pollui; quod evenire non poteſt in re animata conſecrata, ut docet Suarez *de cenſ. diſp. 51. ſect. 3.* quem ſequitur Gibalinus *de irregul. q. 5. n. 8.*

11 Exponitur c. finale, 54. diſt. Superiori aſſertioni primo opponitur textus *in can. 80. Concilii Illiberit.* relatus a Gratiano *in c. final. 54. diſt.* in illis verbis: *Prohibendum eſt, ut liberti, quorum patroni in ſæculo fuerint, ad Clerum non promoveantur.* Ex quibus aperte conſtat, non ſufficere ſervum libertatem conſequi a domino, ut poſſit ſacris ordinibus initiari, verum etiam deſiderari: ut ejus patronus in ſæculo non ſit: igitur non recte aſſerimus, ſervum poſſe ordinari, ſi a domino manumittatur. Agnovit ejus textus difficultatem D. Ferdinandus de Mendoza *in eo can. 80.* & pro ejus expoſitione tres adducit ſolutiones. In prima aſſerit, libertum habentem patronum in ſæculo, ideſt ſuperſtitem, quia adhuc non deceſſerat, ordinari non poſſe, ne adhuc poſt libertatem, & ordinationem eum patronus retrahat in ſervitutem prætextu ingratitudinis, *ex l. Cod. de ingratis libertis.* Sed hæc ſolutio refellitur facile ex eo; nam ſequeretur, ſervum manumiſſum patronum habentem, nunquam poſſe ſacris ordinibus initiari; cujus contrarium probatur *ex c. de ſervorum, 54. diſt. c. 1. & 2. de ſucceſſ. ab inteſtato.* Secundam affert ſolutionem Mendoza, aſſerendo in eo textu agi de liberto, cujus patronus in Gentilitate perſiſtebat, nec adhuc baptizatus erat; ejus enim libertus ordinari non debebat, ne cum aſſidua patroni converſatione libros Eccleſiaſticos, & vaſa ſacra illi traderet. Pro cujus ſolutionis confirmatione illud notandum venit, novum non eſſe in jure noſtro, Gentiles appellari ſæculares, & in ſæculo degentes, *c. ſi quis ex fratribus; 11. q. 1.* ubi judices Gentilium dicuntur a Clemente judices Sæculi: obſervavit Cironius *ad titul. de judiciis.* Sed adhuc hæc ſolutio non placet, cum ex prædicto canone manifeſte non conſtet, patronum eſſe Gentilem. Quare his interpretationibus omiſſis, tertiam amplector; in ea enim affirmat Mendoza, textum illum accipiendum eſſe de liberto, non ſolum obſequium, verum & operas patrono præſtante; id enim demonſtrant verba illa *Patronus, & libertus, l. 1. l. cum patronus 22. ff. de operis libert. l. ſi libertus, ff. de jurep.* unde cum ille qui operas debet patrono, ordinari non valeat, *c. clericos 7. 54. diſt.* Anton. Auguſt. *in epit. lib. 27. tit. 27.* & merito, quia ſicut libertus militiæ terreſtri nomen dare non poteſt, *l. operis 43. ff. de operis libert.* ita libertus qui habet patronum in ſæculo, ideſt ſuperſtitem, cui operas præſtat, ordinari non valet, niſi conſentiente patrono; quo caſu ingenuus ſit, ut contingebat in liberto militiæ nomen dante, ſciente patrono. Ulpianus *in fragment. tit. de Latinis, §. militia.* Unde olim virgo Veſtalis capi non poterat e libertinis nata. Diocaſius *lib. 55. hiſt.* ibi: „ Quoniam prompte hi, qui plane „ nobiles erant, filias ſuas ad Veſtale Sacerdotium darent, „ lege ſtatutum eſt etiam e libertinis natas non poſſe capi." Qua etiam ſolutione intelligendi ſunt textus in Concilio Aurelian. 5. *can. 6.* in illis verbis: *Servum, qui libertatem a dominis propriis non accepit, aut etiam jam libertum, nullus Epiſcopus ordinare præſumat.* Ex quibus depromitur, libertum adhuc poſt libertatem conſecutam non poſſe ordinari, ignorante patrono, ex ſupra traditis, videlicet quia operas patrono præſtabat. Etiam intelligendus eſt textus in Concilio Bituric. *can. 11.* relato ab Ant. Auguſt. *in epit. juris, l. 26. tit. 26.* in illis verbis: *Vel collibertorum a modo clericus fiat.* In quibus verbis comprehendunt Patres libertos operas patronis præſtantes, ex textu *in c. ſi quis obligatus 7. 54. diſt.* juncto Caſtro *in l. unica, C. de capit. civium, num. 29.*

12 Intelligitur c. quicumq; 54. diſt. Secundo traditæ aſſertioni obſtat textus *in c. quicumq; 54. diſt.* ubi Patres Concilii Tolet. 4. decreverunt, ut ſi ſervi directa manumiſſione, nullo retento obſequio, manumiſſi ſint, & aliud non ſubſiſtat impedimentum, poſſint ſacris Ordinibus initiari; ſi vero retento obſequio manumiſſi ſint, quia adhuc dominorum ſervituti tenentur obnoxii, ordinari non debent, ne in poteſtate dominorum ſit facere ex clericis ſervos. Ex quo canone manifeſte colligitur, non ſufficere ſervum a domino manumitti, ut ſacris Ordinibus initiari valeat. Pro cujus textus expoſitione ſciendum eſt, quod licet poſt conſtitutionem Juſtiniani relatam *in leg. unica, §. illo, C. de Latina libert.* omnibus ſervis manumiſſis Quiritia, & plena competat libertas, etiamſi domini eos Latinos tantum facere propoſuerint; tamen cum Gothi leges Romanas non obſervaſſent, ut probant Cironius *l. 5. obſerv. c. 2. & 3.* Oſualdus *ad Donel. l. 1. comment. c. 16. littera E*, permittebant dominis ſervos manumittere, ita ut non ſolum operas ſibi reſervarent, verum obſequium ita ſtrictum, ut potius mutare, quam tollere in eis ſervitium viderentur; & ea conditione manumittentes jus habebant eos revocandi ad ſervitium, non autem poterant eos in mancipium retrahere, ſi hoc obſequium, ſeu jus conditionis non reſervaſſent, *l. 9. tit. 7. l. 5. legum Vviſigotor*, ibi: „ Atque ita per eam libertatis ſcri- „ pturam definierit, ut in tempore conditæ ſcripturæ liber „ ipſe, qui eſt manumiſſus, permaneat, nihil ſibi in eo con- „ ditionis reſervans, hujuſmodi libertatem revocare non liceat." Ubi aliquid conditionis appellatur, quod a Patribus *in d. c. quicumque*, dicitur obſequium. Iſtos ſervos ita manumiſſos Longobardi appellant *Aldios*: & quia hęc ſevera manumiſſionis forma Deo placere non poterat, cujus oculis nihil, niſi ex omni parte perfectum, jucundum eſt; ideo manumiſſio hoc modo celebrari in Eccleſia non poterat, *l. 5. tit. 35. l. 2. legum Longobard.* „ Si „ quis ſervum ſuum, aut ancillam in Eccleſia circa altare amo- „ do liberum, vel liberam dimiſerit, ſic ei maneat libertas, ſi- „ cut illi, qui Fulfreal in quarta manu traditus, & Amundus „ factus eſt; nam qui Aldium facere voluerit, non eum ducat „ in Eccleſia, niſi alio modo faciat, qualiter voluerit, ſive per „ chartam, ſive qualiter ei placuerit." Unde Patres Concilii Tolet. *in præſenti, c. 1.* ut iſtos a ſacris ordinibus amoverent, ſtatuerunt, ut ſervi ordinandi manumitterentur in Eccleſia, ne poſſint domini tempore manumiſſionis in eis reſervare prędictum obſequium, ſeu jus conditionis. Innuerunt, etſi non ita expoſuerunt textum *in d. c. quicumque*, Merillus *l. 2. obſerv. c. 9.* Lemaiſtre *lib. 3. de jurib. Epiſc. c. 8. in fine.*

Tertio adverſatur textus *in c. venerabilem 34. de preb. & dignit.* in illis verbis: *Niſi nobilem, & liberum, & ab utroque parente illuſtrem.* Ubi proponitur, in Eccleſia Argentina præbendam vacaſſe tanto tempore, quod ejus collatio per lapſum temporis ad Sedem Apoſtolicam fuerat devoluta. Legatus Sedis Apoſtolicæ cuidam eam contulit; ſed cum Canonici noluiſſent illum in Canonicum recipere, Legatus petiit a R. Pontifice, ut eam electionem confirmaret: Canonici coram eo propoſuerunt, in prædicta Eccleſia eſſe conſuetudinem jam præſcriptam, ut nullus reciperetur in Canonicum, niſi qui nobilis, liber, & ab utroque parente illuſtris eſſet: quibus propoſitis R. Pontifex decrevit electum a Legato admittendum eſſe ad præbendam, non obſtante dicta Eccleſiæ conſuetudine, quia apud Deum non eſt acceptio perſonarum habenda, nec nobilitas, ſed virtus facit idoneum ſervitorem. Ex quo textu ita conficitur argumentum: En textum ubi inter alia, quæ a Canonicis opponebantur, illud erat, admittendum ad præbendam debere eſſe liberum; & tamen ait Pontifex, eam conſuetudinem attendendam non eſſe: igitur innuit Pontifex, ſervum ad ordines, & dignitates Eccleſiaſticas admitti poſſe. Cui difficultati ſatisfaciendum eſt aſſerendo, ibi non damnari a Pontifice Argentinæ civitatis conſuetudinem ex eo, quod juxta eam eligendus in canonicum deberet eſſe liber; ſed eo, quod deſideraretur nobilitas ab utroque parente: liberum enim eſſe debere jus expoſcit, & ſic pro ea parte conſuetudo non improbaretur, imo confirmaretur, ut conſuetudo, ſeu ſtatutum Carnotenſis Eccleſiæ, ubi ſtatutum erat, ne ullus admitteretur ad Clerum, qui manumiſſus fuiſſet, aut filius colliberti eſſet: unde noviter electus in Canonicum, tempore ſtallationis in hunc modum jurabat: „ Juro etiam me obſervaturum auxilio „ Capituli conſuetudinem hujus Eccleſiæ, quæ eſt de non reci- „ piendis in Canonicos, ſeu clericos de toro manumiſſis, ſeu „ manumiſſorum filiis." Quam conſuetudinem, & jurandi formam illuſtrat Souchetus *in notis ad Ivonem, epiſt. 132.* 13 Exponitur c. venerabilem 34. de prębęd. & dignit.

Rurſus obſtat noſtræ aſſertioni textus *in c. ſciſcitatus, de reſcriptis*, in illis verbis: *Aliquorum ſervum*; in quibus ſupponitur, Pontificem poſſe litteras ſuas mittere clerico in dignitate conſtituto, qui ex facto reperiatur ſervus; cum certum ſit, non poſſe reſcriptum juſtitiæ committi, niſi conſtituto in dignitate Eccleſiaſtica, *c. ſtatutum, de reſcriptis, l. 6.* ſed *in d. c. ſciſcitatus*, ſupponitur ſervo cauſſam commiſſam fuiſſe: igitur quia ſervus, & gradus Eccleſiaſtici, & dignitatis expers non eſt. Cui difficultati reſpondendum eſt, jure Decretalium inſpecto, cuicumque etiam in dignitate non conſtituto poſſe cauſſam a Pontifice committi, ut late probavi *in c. 7. de reſcriptis*; licet hodie ex deciſione Bonifacii VIII. tantum exiſtentibus in dignitate cauſſæ a Sede Apoſtolica committantur; quare jure Decretalium evenire poterat, ut ſervo cauſæ committerentur. Unde jubet Pontifex, ut eo caſu juriſdictionem delegatam non exerceat, ut in ejus commentario late diximus. 14 Exponitur c. ſciſcitatus de reſcriptis.

Deinceps adverſatur textus *in l. quiſquis, C. de Epiſc. & cleric.* ubi generaliter ſtatuitur, ut quiſquis cenſitus fuerit annotatus, invito agri domino ad clericatum non admittatur; & ſi forſan de facto admiſſus fuerit, dominus poterit in eo vico alium ſubſtituere, etiamſi in ruralibus obſequiis manſitare velit; & ſtatim adjiciunt ea verba: *Ea ſcilicet immunitate indulta, quæ certæ capitationis Venerandis Eccleſiis relaxatur, nullo extra hanc legem unquam valituro reſcripto.* Ex quo textu aperte conſtat, non æquale jus ſtatui, ac ſervari in ſervis colonis, & cenſitis privatorum, ac Eccleſiæ; ſiquidem in eo textu Imperatores ſtatuunt, in colono cenſito, qui clericus factus eſt, eo ipſo illum excutere capitationis ſarcinam, dominumque alium colonum ſubſtituere poſſe; in capitatione vero Eccleſiæ debita nullam immunitatem ſimili clerico dari: igitur quia ſervi coloni, & cenſiti Eccleſiæ, etiamſi ab onere reali non ſint immunes, poſſunt ſacris ordinibus initiari, & in Eccleſia miniſtrare. Pro hujus difficilis textus interpretatione primo ſciendum eſt, apud Romanos primis urbis cunabulis rem ruſticam ab omnibus nobilibus, optimiſque viris exerceri. Columella *l. de re ruſtica*; imo ipſorum Imperatorum manibus agri colebantur, gaudente terra vomere laureato, & triumphali aratore. Poſtea vileſcente ruris diſciplina, per ſervos a dominis in ipſis agris relegatos prædia coli cœperunt, 15 Explicatur l. quiſquis, C. de Epiſc. & cleric.

l. quæ-

BIBLIOTECA CENTRAL

l. quæſitum, 12. §. Alfenus, ff. de inſtructo, l. ex facto 35. §. rerum, ff. de hered. inſtituendis. Illuſtrant Briſſonius *l. 2. ſelect. cap. 9.* Lipſius *l. 2. relect. c. 15.* Marcellus Donatus *in Svetonium, ad Tiberium, c. 8.* Connanus *l. 1. comment. c. 10.* Gilbertus Polver. *l. 5. ſelect. c. 10.* Poſtea triplex agricolarum conditio fluxit, notata *in l. ſervos 12. Cod. de agricolis, l. 11.* quorum alii omnino ſervi, qui juſſu, & fide dominica prædia colebant, erant, quibus ſemper adhærebant, *l. ſi quis inquilinos 112. ff. de legat. 1. l. cum de lanionis 18. §. cum de villico, l. Seja 20. §. 1. ff. de inſtructo fundo, l. 3. l. quemadmodum 7. Cod. de agricolis, l. 11.* Alii liberi, quæ ſpecialiter coloni appellantur, *l. 1. de prædiis Tamiacis, l. 11.* qui capitationem non ſolvebant, ſed dumtaxat certam penſionem domino terræ, a qua diſcedere non poterant, *l. domini 5. l. omnes 6. & l. ſi coloni 14. l. litibus 19. l. cum ſcimus 21. §. illud, Cod. de agricolis, l. 11. l. 1. Cod. de colonis Palæſtinis, l. 11.* Alii cenſiti erant, qui cenſibus, ſive libris cenſualibus ſimul cum prædiis, quibus adhærebant, deſcribebantur, & cenſum annuum ſolvebant, qui cenſus ſi per capita ſolvebatur, dicebatur capitatio; ſi per jugera, jugatio, *l. coloni, Cod. in quibus cauſſis, l. 4. l. cum ſcimus, Cod. de agric. l. 11.* Unde alii dicebantur adſcriptitii, tributarii, & cenſibus obnoxii, *l. 20. C. de Epiſc. & Cleric. l. quicumque 10. C. de re milit. l. 12. l. 1. C. de tyronibus l. 12. l. omnes 6. l. colonos 18. C. de agricolis, l. 11.* ubi poſt ordinarios repetentes Antonius Perez, & Cujacius *ad tit. Cod. de agricolis*, Valaſco *de jure emphyt. 2. part. q. 37.* Connanus *l. 2. comment. c. 10.* Donellus *l. 2. comment. c. 9.* ubi Oſualdus *littera R.* Petrus Gregor. *l. 18. ſyntagm. c. 23.* D. Nicolaus de Caſtro *in l. unica, Cod. de capitatione civium, l. 11.* Schifordeg. *ad Fabrum, tract. 26. l. 3. q. 6.* Lemaiſtre *d. l. 3. de juribus Eccleſiæ, c. 2.* & nos de eis agemus *in c. venientes 19. de præſcrip. c. indicatum, de immunit. Eccleſiæ.* Secundo ſciendum eſt, non ſolum ſervos, verum & colonos, prædictiſque tributis obnoxios ordinari non poſſe. Concilium Aurelian. 3. *can. 25.* *Ut nullus ſervilibus, colonariiſque conditionibus, juxta ſtatuta Sedis Apoſtolicæ, ad honores Eccleſiaſticos admittatur, niſi prius aut teſtimonio, aut per tabulas fuerit abſolutus.* Et *c. ſi quis obligatus 7. diſt. 55.* quibus ſuppoſitis pro interpretatione textus *in d. l. quiſquis*, D. Nicolaus de Caſtro *in d. l. unica, n. 48.* exiſtimat Imperatores in eo textu agere de duplici capitatione, impropria videlicet, & propria. In prima parte de capitatione propria dominis debita agere; in ſecunda vero de impropria Eccleſiæ præſtanda, a qua ipſe affirmat immunem non eſſe cenſitum in clericum ordinatum. Quæ ſententia licet defendi poſſit, verius credo, Imperatores in verbis ſupra relatis tantum affirmare cenſitum in clericum ordinatum poſſe per ſubſtitutum deſervire abſque eo, quod exinde ullum præjudicium Eccleſiæ ſequatur, juxta ea quæ dabimus *in c. indicatum, de immunit. Eccleſiæ.*

Etiam præſenti aſſertioni, dum pro roſtris examinanda proponitur, opponi ſolent textus *in cap. 2. de condit. appoſit. cap. per venerabilem, qui filii ſint legit. cap. cum deputati 16. de judiciis, cap. 5. de inſtit.* quorum veram interpretationem dabimus in eorum commentariis.

CAPUT III.

Ex *a* eodem.

DE familiis *b* Eccleſiæ conſtituere Presbyteros, & Diaconos per *c* parochias liceat, quos tamen vitæ rectitudo, & probitas morum commendat; ea tamen ratione, ut antea manumiſſi libertatem ſtatus ſui percipiant, & denuo ad Eccleſiaſticos honores ſuccedant: irreligioſum eſt enim, obligatos exiſtere ſervituti, qui ſacri ordinis ſuſcipiunt dignitatem. *d* Quidquid autem talibus, aut libertate *e* conceſſum, aut ſucceſſione extiterit debitum, aut e quolibet quoquo modo collatum, non licebit eis quippiam inde in extraneas perſonas tranſmittere, ſed omnia ad jus Eccleſiæ, a qua manumiſſi ſunt, oportet poſt eorum obitum pertinere. His *f* quoque, ſicut & *g* ceteris Eccleſiæ libertis, accuſandi, vel teſtificandi adverſus Eccleſiam aditus intercluditur; ad quos ſi adſpiraverint, non ſolum libertatis beneficio careant, ſed etiam honoris gradu, quem non dignitate *b* naturæ, ſed temporis neceſſitate promeruerunt.

NOTÆ.

1 a EOdem.) Ita etiam legitur in prima collectione, *ſub hoc tit. c. 4.* & licet nullibi exprimatur, ex quo Concilio deſumptus ſit textus hic, reperitur in canone 74. Concilii Tolet. 4. ex quo textum hunc tranſcribimus; quod Concilium nationale celebratum fuit temporibus Siſenandi, æra 671. ut refert Rodericus Toletanus *lib. 2. c. 19.* & probat Loayſa *in notis ad ipſum Concilium.*

2 b *De familiis Eccleſiæ.*) Ita legitur in hac ſexta collectione; & licet hæc lectio ſuſtineri poſſit, quia ſervi propriori voce appellari poſſunt famuli, Feſtus Pompejus verbo *Famuli*, Paſſeratius *in notis ad Catullum, de nuptiis Pelei, p. 49.* tamen cum in editionibus hujus Concilii, & caſtigatis Codicibus legatur *familiis*, emendari debet Raymundi collectio; ita: *De familiis Eccleſiæ.* Qua littera retenta, ad veram cognitionem hujus vocis, *familiæ*, ſciendum eſt, familiam, ſeu fameliam, apud antiquos ſcriptores ſignificare ſervos etiam venalitios. Feſtus verbo *Familias*, Svetonius *in Auguſto, cap. 42.* ibi: *Magna vero quondam ſterilitate, ac difficili remedio, cum venalitias, & Laniſtarum familias urbe expuliſſet.* Ubi Levinus Torrentius *pag. 99.* Juriconſulti familiam appellarunt plures perſonas, præcipue ſervos ſub unius poteſtate conſiſtentes, *l. pronuntiatio 195. §. familiæ, ff. de V. S. l. fin. Cod. eod. tit. l. 1. §. familiæ, ff. de publicanis, l. ædiles, §. familiæ, ff. de ædilitio edicto.* Docent Tamayo de Salazar *in martyrol. Hiſpan. die 20. Martii*, Silva *de ſalariis familiæ, q. 2. n. 2.* juxta quam ſignificationem accipiendus eſt locus Concilii Lucenſis, ubi dum ex diviſione Vvambæ territorium Epiſcopatus Dumienſis deſcribitur, ita ait Rex: *Ad Dumium familia ſervorum ſpectet.* Quæ verba varie accipiunt Loayſas *in notis ad ipſum Concilium Lucenſe, pag. 153. num. 8.* Bernardus Brito *par. 2. Monarchiæ Luſit. l. 6. cap. 14. pag. 198.* Acunna *in hiſt. Brachar. cap. 70. numer. 16. pag. 301.* Morales *in hiſt. Hiſp. lib. 12. cap. 50.* Tamayo *d. die 20. Martii*; quorum interpretationibus omiſſis, placet ſententia doctiſſimi Patris Yepes *tom. 1. chron. D. Benedicti, centur. 1. pag. 243.* qui exiſtimat familiam ſervorum ibi accipi pro ſervis deputatis ad agriculturam & ſervitium Regis Suevorum, qui in variis oppidis degebant: unde in aliis editionibus loco illorum verborum, *Familia ſervorum*; legitur, *Familia Regia*: & ſic Epiſcopatus Dumienſis comprehendebat omnem familiam Regiam, ſeu ſervorum Regis, qui in pagis degebant. His ſuppoſitis pro expoſitione illius vocis *familiæ* nunc pro hujus textus expoſitione ſciendum eſt, Eccleſias habere propria patrimonia, ſuaſque facultates, non ſolum in prædiis, domibus, navibus, & aliis rebus, de quibus Duarenus *l. 2. de ſacris, cap. 1.* Lemaiſtre *l. 3. de juribus Epiſcop. cap. 1. 2. & 3.* verum etiam colonos caſatos, & vaſſallos, de quibus Lemaiſtre *ubi ſupra c. 4.* & etiam ſervos, aut emptos, aut a fidelibus donatos, *cap. Eccleſiarum, cap. etſi, cap. ſi quis Epiſcopum, 12. quæſt. 2. cap. injuſtum, de rerum permut.* Cochier *in face hiſt. part. 1. cap. 13. & cap. 95. & 96.* qui dicebantur ſervi ex familia Eccleſiæ. Concil. Tolet. 4. *can. 70.* ibi: *Ex familia Eccleſiæ liberos effectos eſſe fateantur.* Et *cap. multos de Eccleſiaſtica familia, 54. diſt.* Concil. Hiſpal. 2. *can. 8.* ubi agitur de quodam Eliſeo ex familia Agravienſis Eccleſiæ. De his ergo ſervis familiæ Eccleſiæ agitur in præſenti canone.

c *Per Parochias.*) Educabantur ſervi Eccleſiæ eo fine præ- 3
cipue, ut ad Eccleſiaſtica officia, clericalemque ordinem aſcenderent; ſi enim moribus probis, ſtudiiſque pollebant, ad ſacros ordines aſſumebantur, & parochiis præficiebantur. Concilium Emer. *can. 18.* ubi jubetur, ut Presbyteri de Eccleſiæ ſuæ familia clericos ſibi faciant. Concilium Tolet. 9. *can. 11.* Hujuſmodi tamen ſervi, qui in familia Eccleſiæ degebant, ſine cauſſa ab Epiſcopis manumitti non poterant, quia cum per manumiſſionem hujuſmodi ſervi alienarentur, & alienatio rerum Eccleſiæ ſine cauſſa non permittatur, *c. nulli 5. de rebus Eccleſiæ*, ea ceſſante, manumiſſio nulla eſt, *c. Abbate 54. c. Epiſcopus 12. q. 2.* ubi cavetur, ut Epiſcopus manumittens ſervum Eccleſiæ ſine cauſſa, duos reddat Eccleſiæ; quod procedit ex ſupra traditis *in c. 1. hoc titul.* Cum ergo ſervos ex familiis Eccleſiæ ſine juxta cauſſa non licet manumittere, Patres Concilii Tolet. in præſenti canone ſanxerunt, juſtam eſſe manumiſſionis cauſſam, ut ſervus in Presbyterum, vel Diaconum ordinetur, & per parochias conſtituatur; cum enim bonum publicum populi Chriſtiani in hoc caſu interveniat, ut ipſe dum Presbyter ordinatur, Sacramenta conferat, vel ut Diaconus in Eccleſia miniſtret, *c. clericos, verſic. Presbyter, & verſ. Levitæ, 21. diſt.* merito inter juſtas cauſſas manumittendi ſervos Eccleſiæ hanc SS. Patres ſtatuerunt, ut per parochias ſervi ita ordinati neceſſitate interveniente, Presbyteri, vel Diaconi officio fungerentur; & in hac parte ſingularis eſt præſens canon, nec ullo juris teſtimonio ab ſpecie probari poteſt, licet in eamdem ſententiam conſentiant textus *in c. frequens, 54. diſt. c. eo libentius, hoc tit.*

d *Quidquid.*) Ab his verbis incipit ſecunda pars hujus tex- 4
tus, ubi Patres Concilii Toletani ſtatuunt, non licere ſervis Eccleſiæ ſic manumiſſis, quidquid fuerit debitum ſibi, aut quolibet modo collatum, in extraneas perſonas tranſmittere, ſed omnia ad jus Eccleſiæ, a qua manumiſſi ſunt, poſt eorum obitum debent pertinere; quam partem confirmant textus *in c. Epiſcopus 68. cap. ſi quis de ſervis, 12. q. 2. c. de rebus, 54. diſt.* Concilium Emer. *can. 74.* Tolet. 9. *can. 16.* Agathenſe *can. 7.* Exornant ultra repetentes in præſenti Baptiſta a S. Blaſio *in tract. de differentiis inter jus canonicum, differentia 135.* Barboſa *in c. 2. de ſucceſſ. ab inteſt.* Hæc tamen pars Concilii Tolet. rectæ peritiæ juris civilis adverſatur; nam, jure civili inſpecto, etſi mortuo ab inteſtato liberto, nullo ſuo herede relicto, ad hereditatem vocetur patronus, ſive legem XII. Tabularum, ſive Prætoris edictum attendamus, *princ. Inſtit. de ſucceſſ. libert.* imo ex lege Papia, ſi recte emendavit Cujacius *lib. 3. obſerv. cap. 13. & lib. 17. cap. 13. & lib. 3.* ſub nomine Mercatoris, *contra Robertum l. 2. recep. c. 24. & lib. 3. animad. cap. 25. ex l. inteſtato 3. ff. de ſuis & legitimis, l. virilis, ff. de V. S.* quod expreſſius ſtatuit Juſtinianus in quadam Græca conſtitutione,

quam ex Baſilicis reſtituit Cujacius *lib. 20. obſerv. cap. 34.* cujus meminit Juſtinianus *in §. ſed noſtra, Inſtit. de ſucceſſ. libert.* attamen ſi libertus manumiſſus in vita ſine fraude alienabat, aut teſtamento diſponebat, patronus ullum jus ex lege decemvirali ad hereditatem liberti non habebat, imo impune præteriebatur. Ulpianus *titul. 27. regul. §. 1. & titul. 19. in princip.* principium Inſtitutionum *de ſucceſſ. libert.* Poſtea vero ex dicto Prætoris patrono in bonis liberti dimidia pars bonorum conſervata fuit, conceſſa a Prætore bonorum poſſeſſione contra tabulas uſque ad portionem ſemiſſariam. Ulpianus *dict. tit. 29. §. 1.* ad quam juris partem referendi ſunt textus *in l. & quia 10.* ibi: *Et quia plerumque vel a parente, vel a liberto, quaſi debitum nobis hereditas obvenit.* Svetonius *in Nerone, cap. 23.* dum refert Neronem conſtituiſſe, ut de libertorum defunctorum bonis pro ſemiſſe dodrans præſtaretur. Quintilianus *in declamat.* Cui titulus *Avia teſtis*: Tandem ex lege Papia illud in favorem patronorum ſtatutum fuit, ut ex bonis liberti centenarii, ſi unicum filium libertus haberet, in dimidia parte admitteretur; juxta quam legem intelligendi ſunt textus *in l. debitor 40. §. 1. ff. de ignoratitia, l. Latinus 93. ff. de legat. 2.* Si autem duos filios habebat, ad virilem partem admittebatur. Ulpianus *in fragm. tit. 26. §. poſtea, Inſtit. de ſucceſſ. libert.* Quibus addere licet legem *ſi patronus 20. ff. de donat.* legem *ſi libertus, ff. de bonis libert.* juncta inſcriptione textus *in l. virilis 145. ff. de V. S.* adhibito Cujacio, ibi, *l. ſervi 43. l. ex aſſe 52. ff. ad leg. Falcid.* juncto Cujacio *lib. 5. qq. Pauli, in l. ſi patronum 44. §. ult. ff. de bonis libert. l. ſi vero 64. §. item, & §. 5. ff. ſoluto matrimonio,* & locum Licini Ruffini *in collat. legum, tit. de legitima ſucceſſ.* Illuſtrant Hotomanus *lib. 3. antiquit. cap. antepenult.* Balduinus *in lege Papia, pag. 120.* Cujacius *lib. 19. obſerv. cap. 31.* Coſta *in cap. ſi pater, verbo Inſtitutionem, de teſtam.* Petrus Pitheus *in collat. legum Moſaicorum, titul. 16.* Variis diſtinctionibus juxta temporum ſeriem libertorum ſucceſſionem, libertarumque exponunt magnus ſemper, ſed in expoſitione legis Papiæ celebris, Illuſtriſſimus D. Franciſcus Ramos del Manzano *ad legem Juliam, & Papiam, cap. de ſucceſſ. libert.* perdoctus, omnigenaque eruditione peritus, Cathedra, Toga, & amicitia conjunctus D. Petrus de Ulloa & Golfin in aſſertionibus in majori noſtro Salmanticenſi Lycæo pro roſtris propoſitis, uberrimiſque notis illuſtratis, *de ſucceſſ. libert.* & nos *in c. 2. de ſucceſſ. ab inteſt.* igitur præſentis canonis Patres, quatenus affirmant decedente liberto, omnia bona ſua ad Eccleſiam patronam ſpectare, juris peritiæ expreſſe adverſantur.

5 Diſſolvuntur difficultates. Huic difficultati, omiſſis ſolutionibus traditis a Gloſſa, Abbate, & Hoſtienſi *in præſenti*, reſpondendum eſt, quod licet jure civili inſpecto, liberti decedentes poſſint de bonis ſuis diſponere, relicta portione legitima patronis debita, exceptis libertatibus, quæ quia in perpetua tutela erant patroni, ſine ipſius auctoritate teſtamentum condere non poterant, Ulpianus *in fragm. tit. 20. §. penult.* Cicero *lib. 6. epiſt. 21. ad Trebatium*, Livius *l. 49.* ibi: „Quin eo proceſſerat conſuetudine capta, ut poſt patroni mortem, quia nullius in manu erat tutor, a Tribunis, & Pætore petiti, cum teſtamentum fecerat, unum libertum inſtituerat.“ Niſi ex lege Papia jus quatuor liberorum haberet, quia tunc exibat a tutela. Ulpianus *tit. fin. §. 3.* Tamen Patres noſtri Concilii Toletani loquuntur de liberto filios non habente, qui ex conceſſione & donatione aliquorum, ſeu ex ſucceſſione bona acquiſierat: illa enim in gratiam remunerationis libertatis ab Eccleſia acceptæ tenebatur ea bona Eccleſiæ relinquere, quia ex legibus Vviſigothorum bona liberti, deficientibus liberis, patronus ſibi vindicabat, *l. 13. tit. 7. l. 4. legum Eviſigotorum.* „Si manumiſſus ſine filiis de legitimo matrimonio natis tranſierit, & ei patronus in libertate aliquid donaverit, aut forſan de ejus ſervitio diſceſſerit, & alibi ſe contulerit, omnia ad patronum, vel ejus heredem ſine dubio revertantur.“ Quare juris teſtimonia ſupra adducta procedunt jure Romanorum attento; præſens vero canon, inſpectis legibus Gothorum, apud quos, ut *in c. 1. hoc tit.* monui, jus Romanorum uſu receptum non erat.

6 Exponitur Conc. Tol. 7. can. 16. Sed huic ſecundæ parti præſentis textus obſtat canon 16. Concilii Tolet. 9. in illis verbis: „Libertis Eccleſiæ, eorumque progeniei ex omnibus rebus, quæ de jure Eccleſiæ noſcuntur habere, nihil licebit in extraneum dominium tranſactione quacumque deducere; ſed ſi ex his quælibet vendere fortaſſe voluerint, ſacerdoti ejuſdem Eccleſiæ offerant convenienter emenda, eorumque pretia, ut eis placuerit, aut diſpenſent, aut habeant. Nam in dominium partis alterius rei ſuæ cenſum nullo modo tranſire permittimus; ſuis autem filiis, vel propinquis, eidem Eccleſiæ, vel ſervitio, vel patrocinio ſubjugatis, quæcumque vendere, vel donare voluerint, aditus omnino patebit.“ Ex quibus adverſus hanc textus partem duplex naſcitur difficultas. Prima, nam libertorum bona ad jus Eccleſiæ ſpectabant, ut textus ipſe innuit, quo modo ea vendere, aut diſtrahere liberti poterant: igitur quia Eccleſia in eis non ſuccedit, aut jure proprio non occupat. Secunda, nam in eo textu tantum aſſeritur Eccleſiam ſuccedere in illis tantum rebus, quas ab Eccleſia obtinuerunt: igitur non recte in præſenti docetur, in omnibus bonis ipſorum libertorum Eccleſiam ſuccedere. Primæ difficultati reſpondendum eſt, venditionem in eo textu non valere, ut Eccleſia privetur bonis ſuis, ſeu ad quæ jus habebat; valet enim venditio, ſi conſulto ſacerdote, ideſt Eccleſiæ Prælato, emenda offeratur & ſic ipſa commutatione Eccleſia nihil juris proprii amittit. Secundæ difficultati reſpondendum eſt, in eo textu tantum agi de rebus ad jus Eccleſiæ pertinentibus, ſeu ejus intuitu acquiſitis: non tamen Patres negant, ad alia libertorum bona Eccleſiam admitti, ſi liberti filios non habuerint. Vel canon ille exaudiendus eſt de libertis, qui filios habebant; quo caſu tantum ad bona intuitu Eccleſiæ acquiſita admittitur Eccleſia; non vero ad reliqua aliunde quæſita, aut parta.

7 Exponitur cap. 1. de ſucceſſ. ab inteſt. Etiam adverſatur huic parti textus *in c. 2. de ſucceſſ. ab inteſt.* ubi ex Concilio Triburienſi refertur, quod ſi libertus in Preſbyterum ordinatus deceſſerit, ejus peculium in quatuor partes dividatur, quarum una Epiſcopo, altera Eccleſiæ, tertia pauperibus, quarta parentibus præſtetur, nulla patrono portione aſſignata; ex quo textu expreſſe deducitur, patronum in bonis liberti prædefuncti nullum jus habere, igitur perperam in præſenti aſſeritur, Eccleſiam ut patronam in univerſa bona liberti ſuccedere. Pro cujus textus interpretatione, & conciliatione cum hoc canone, diſcrimen conſtituendum eſt inter privatum patronum, & Eccleſiam ſervum manumittentem, ut ſacris ordinibus initietur. Primo caſu patronus privatus in ſervo manumiſſo ſacris initiato nullum jus ad ejus ſucceſſionem habet: ſecundo vero caſu Eccleſia habet jus ſuccedendi in bonis ipſius liberti. Diſcriminis ratio ex eo provenit, nam privatus patronus poſt manumiſſionem nullum jus, ſeu obſequium poteſt retinere in ipſo liberto, *c. quicumque 54. diſt.* junctis traditis pro ejus interpretatione; *in c. 1. hoc tit.* at Eccleſia retinet integrum juſpatronatus, quare ejus virtute poteſt bona liberti occupare. Docet Baptiſta a S. Blaſio *in d. tr. de differentiis p. 135.* licet hæc jura aliter componere intendat Barboſa *in d. c. 2. n. 4.* Quare autem peculium *in d. c. 2.* in prædictas quatuor partes dividatur, in ejus commentario dicemus.

8 e *Per libertatem conceſſum.*) Hæc verba poſſunt referri ad ea bona, quæ ex Eccleſiæ permiſſu tempore ſervitutis ut peculium ſervi retinebant. Plerumque enim Eccleſiæ per ſervos proprios ruri præpoſitos agros colebant, & fructuum partem, ut peculium, ſervi ſibi retinebant, ut probat Lemaiſtre *de juribus Epiſc. l. 3. c. 6. circa medium.* Etiam referri poſſunt ad peculium ipſorum. Et licet jure civili inſpecto, ſervo manumiſſo inter vivos peculium tacite conceſſum intelligatur, *l. ſi Sticho 53. ff. de peculio, l. 3. ff. de manumiſſ. l. unica, Cod. de peculio eorum, qui libert.* licet non idem contingat in teſtamento manumiſſio, *§. peculium 20. Inſt. de legatis, l. ex parte 35. §. duos, ff. familiæ erciſcundæ, l. fundo 22. §. 1. de fundo inſtructo* Reatigui *1. ſelect. c. 5.* Pancirola *2. variar. c. 90.* in qua parte obſervandi ſunt textus *in l. 2. §. ſervus, ff. pro emptore, l. quoties 29. de contrahenda emptione, l. ſi ſervus 18. ff. de ſolut. l. final. C. de emancip. liber. l. ſi ſerva 39. ff. de jure dotium, l. cum dominus 19. §. 1. ff. de peculio legato, l. donationes 31. §. pater, ff. de donat. l. penult. ff. de manummiſſis vindicta, l. poſt 6. §. 1. ff. de libertat. legata, l. final. ff. de manumiſ. quæ ſervis, &c. l. peculii 4. l. definitio 6. l. ſi ſervus 17. ff. de peculio, l. ſi per imprudentiam 51. §. 1. ff. de evictionibus l. 2. Cod. qui manumitti non poſſunt, l. peculium, 65. ff. de legatis 2. l. Offidius 47. l. ſervis 99. ff. de legat. 3. l. ſi peculium 6. ff. de peculio legato, l. ſi peculium 10. ff. de manumiſſ. teſtam. leg. Thais 41. §. ſi Titius, ff. de fideicommiſſ. libertatib. l. ſi hereditas 28. §. 1. ff. de ſtatuliberis.* Tamen in ſervis Eccleſiæ manumiſſis peculium ſpecialiter concedi debet, alias datum non præſumitur, *c. de rebus, 54. diſt.*

9 f *His quoque.*) incipit tertia pars hujus canonis, in qua Patres ſtatuunt, ſervum ab Eccleſia manumiſſum accuſare, vel teſtimonium contra eamdem dicere non debere, alias ſi fecerit, in ſervitutem eſſe redigendum, & honoris gradu privandum. Quam partem probant textus *in c. Epiſcopus, in fine, 12. q. 1. c. liberti, c. Diaconi, c. octava, c. Epiſcopus, §. libertus 12. q. 2. c. liberto, 4. quæſt. 3. l. ſed ſi hac, §. qui manumittitur, ff. de in jus vocando, l. qui cum major 14. ff. de bonis libert. l. alimenta 6. de libertis agnoſcendis, l. 3. §. fin. cum lege ſequenti, ff. de teſtibus, l. 5. & 11. Cod. eod. tit. l. 2. de libertis & ſucceſſ. in Theodoſ. novella de libertis & ſucceſſione eorum l. 9. 10. 11. & 12. tit. 7. l. 5. legum Vviſigoth.* edictum Theodorici *c. 48. Illuſtrant* Cujac. *lib. 10. obſerv. c. 33.* Revardus *l. 1. conject. cap. 10.* Donellus *l. 1. comment. c. 17.* Pitheus *in collat. legum, tit. 92.* Juretus *ad Symmachum. l. 10. epiſt. 41.* Magna etiam ratione firmatur hæc deciſio; nam ſi libertis privatis prohibetur teſtimonium dicere adverſus dominos, eoſque accuſare, ex ſupra adductis legibus, quanto magis libertis Eccleſiæ hoc inhibendum eſt, cum ab ea non ſolum beneficium libertatis, verum & patrocinium, tuitionemque conſequantur, *c. liberti: 12. q. 2.*

10 Exponitur c. Epiſcopus 12. q. 2. Sed difficilis eſt juxta ſupra dicta textus *in c. Epiſcopus 58. 12. q. 2.* in illis verbis: „Hujuſmodi autem liberto adverſus Eccleſiam, cujus juris ſubjectus exiſtit, accuſandi, vel teſtificandi denegatur licentia: quod ſi præſumpſerit, placet ut ſtante commutatione in ſervitutem propriæ Eccleſiæ revocetur, cui nocere ſtatuit.“ Ex quibus conſtat, ſervum permutatione acquiſitum, & ab Epiſcopo manumiſſum, non poſſe accuſare, aut teſtificari contra Eccleſiam, in cujus dominio fuit; & accuſantem, ſeu teſtimonium dicentem, tradendum eſſe illi Eccleſiæ, cui nocere præſumpſerat: igitur tam libertus proprius, quam alienus accuſare non poteſt eum, in cujus dominio aliquando fuit, licet ab eo donum libertatis non acceperit. Difficilis eſt etiam textus ille, dum docet, ſervum manumiſſum tradendum eſſe Eccleſiæ, cui nocere præſumpſit, non vero patrono, a quo libertatem accepit. Primæ difficultati ſatisfaciendum eſt aſſerendo ſervum, de quo in eo textu, ab Epiſcopo manumiſſum eſſe: ſed non poſſe accuſare, aut teſtimonium dicere, non ſolum adverſus Epiſcopum, verum nec contra Eccleſiam ejus ſponſam, alias revocari ſervitutem. Secundæ difficultati reſpondendum eſt, in eo textu redigi in ſervitutem Eccleſiæ, propriæ; & ea verba, *Cui nocere conatur*, referenda eſſe ad Eccleſiam propriam, contra quam teſtimonium dixit.

11 Ex ſupra traditis lucem accipit textus *in c. Diaconi 35. 12. q. 3.*

Intelligitur c. Diaconi, 12. q. 2. *q. 3.* in illis verbis: *Libertos tamen, quos Sacerdotes, vel Diaconos de Eccleſia ſibi commiſſa facere voluerint, actus Eccleſiæ proſequi jubemus; quod ſi facere contempſerint, placuit eos ad proprium reverti ſervitium.* In quibus difficile eſt, quid per actus Eccleſiæ Patres Conc. Agathen. intelligant, & actus appellatione quid comprehendatur. Sed pro illorum verborum expoſitione ſciendum eſt, olim Eccleſiam in manumiſſione ſervorum operas a libertis ſtipulaſſe, & retenuiſſe, eaſque non ſegniter, & deſidioſe libertos impendere debere, cavetur in Concilio Tolet. 4. *can. 69.* ubi jubetur libertis Eccleſiæ, ut negotia Eccleſiæ ſibi injuncta majori cura qua potuerint, proſequantur. Quod etiam jubetur *in d. c. Diaconi*, ubi actus proſequi, nihil aliud importat, niſi promiſſas operas ſtrenue, & accurate exequi, juxta munus ſibi injunctum, ut probat Lemaiſtre *l. 3. de jurib. Eccleſiæ, c. 10.* Unde Patres Conc. Agath. jubent, ut ſi actus ipſos Eccleſiæ non proſequantur, in ſervitutem revocentur, quia juxta ſupra tradita ſervi ab Eccleſia manumiſſi ex juſtis cauſſis in ſervitutem revocari poterant, ut etiam redigebantur antiquitus liberti Eccleſiarum, qui intra annum a conſecratione Epiſcopi chartam libertatis non exibebant. Conc. Tolet. 4. *can. 70.* „Liberti Eccleſiæ, quia nunquam moritur eorum patrona, a patrocinio ejuſdem nunquam diſcedant; nec poſteritas quidem eorum, ſicut priores canones decreverunt. Ac ne forte libertas eorum in futura prole non pateat, ipſaque poſteritas naturali ingenuitate obtinens ſeſe ab Eccleſiæ patrocinio ſubtrahat, neceſſe eſt, ut tam iidem liberti, quam ab eis progeniti, profeſſionem Epiſcopo ſuo faciant, per quam ſe ex familia Eccleſiæ liberos effectos eſſe fateantur, ejuſque patrimonium non relinquant, ſed juxta virtutem ſuam obſequium ei, vel obedientiam præbeant. *Quam Eccleſiæ legem temperarunt PP. Conc. Cæſaraug. 3.* can. 4. *in hæc verba*: Non eſt dubium, a ſanctis Patribus definitum fuiſſe ut cum omnes liberti, qui ab Epiſcopis ex propriis familiis Eccleſiæ, manumiſſionis gratia titulantur, poſt decedentis Epiſcopi obitum, mox ac alius pervenerit Epiſcopus, infra anni ſpatium libertates ſuas repræſentent, quo ſecundum canonis ſententiam per ſuas profeſſiones debitam ſuæ originis conditionem agnoſcant. Sed quia ita ſpeciali modo ſancta decrevit Synodus, ut ipſi liberti infra anni ſpatium ſupervenienti ſuo Pontifici chartulas libertatis ſuæ præſentare neglexerint, protinus eo in priſtinam ſervitutis redigant conditionem: & licet illis congruentius, ſatiſque loculentius retractatum fuerat; hoc tamen a nobis conſpicuum perpenditur, quo non ſolum & prædia Eccleſiarum debita diſponimus, ſed etiam & oppreſſis pium ſuffragium porrigimus, per quod & cupiditas ſacerdotalis fruſtretur, & imbecillitas pauperum ſublevetur. Quia ergo comperimus quoſdam Pontifices, potius lucra ſua ampliare ſtudentes, quam de mercedis opere Domino placentes, liberos, quos ex familia Eccleſiæ a ſuis prædeceſſoribus inveniunt, pro eo quod chartulas libertatis ſuæ infra conſuetum tempus non repræſentent, ſtatim eos in propriam ſervitutem redigere, unde hoc pietatis ſtudio generali modo ſubrogamus beneficium, ut ſi iidem liberti forſitan ignoraverint ordinem canonum, aut certe (ut adſolet fieri) ad præſentandas libertates ſuas tepuerint, ipſius Pontificis ſolicitudo mox ac in Sedem ſibi creditam ſucceſſerit, per Clerum, aut domeſticos perquirere procurabit, quos decedentes Epiſcopi de familiis Eccleſiæ manumiſſionis gratulaverant, ut eodem Pontifice præmonente, ipſi liberi chartulas ſuæ libertatis repræſentent: qualiter nec liberti Eccleſiæ de inſtitutione canonum ignorantes ſe eſſe perhibeant, nec Sacerdotis callida voluntas pateſcat, unde contra ordinem reducantur manumiſſi ad originem ſervitutis. Quod ſi Pontifice præmonente contempſerint infra anni ſpatium ſuas libertates propriæ Sedis Epiſcopo pandere, licitum ſit ei ſecundum canonum ſanctiones in jure Eccleſiæ ſuæ reducere ſervituros.

g *Ceteris Eccleſiæ libertis.*) Ab Eccleſia manumiſſi, abſque eo quod clerici fierent: vel a fidelibus laicis manumiſſi in Eccleſia pro redemptione animarum ſuarum, qui licet a dominis propriis in Eccleſia manumitterentur, tamen quia in Eccleſiis manumittebantur, non liberti dominorum, ſed Eccleſiæ fiebant, *tit. 58. legum Ripuariorum*, ibi: “Hoc etiam jubemus, ut qualiſcumque Francus, Ripuarius, ſeu tabularius ſervum ſuum pro animæ ſuæ remedio, ſeu pro pretio ſecundum legem Romanam liberare voluerit, ut in Eccleſia coram Presbyteris, Diaconibus, ſeu cuncto, Clero, & plebe, in manu Epiſcopi ſervum cum tabulis tradat, & Epiſcopus Archidiaconum jubeat, ut det tabulas ſecundum legem Romanam, qua Eccleſia vivit, & ſcribere faciat, & tam ipſe, quam omnis procreatio ejus liberi permanent, & ſub tuitione Eccleſiæ conſiſtant, vel omnem reditum ſtatus, aut ſervitium tabularii eorum reddant, & nullus tabularius denarium ante Regem præſumat jactare. Quod ſi fecerit CC. ſolid. culp. jud. & nihilominus ipſe tabularius, & procreatio ejus tabularii perſiſtant, & omnes reditus ſtatus eorum ad Eccleſiam, redeant, & non alicubi, niſi ad Eccleſiam, ubi relaxati ſunt, malum teneant.“ Unde ſi quis eos interficeret, mulctam, quam pro nece hominis pendebat, non domino manumittentis, ſed Eccleſiæ, ubi manumiſſus fuerat, ſolvebat. Lex Alemanica unica, *tit. 17.* ibi: *Liberti, qui ad Eccleſiam dimiſſi ſunt liberi, vel per chartam libertatem acceperunt, ſi occidantur, 80 ſoltdi ſolvantur Eccleſiæ, vel filiis ejus.* Amplius ſi ipſi liberti in ſervitutem reducuntur ex ingratitudine, vel ſimili cauſſa, non in ſervitutem priſtini domini recidebant, ſed ſervi Eccleſiæ, ubi manumiſſi fuerat, fiebant. Dicta lex Alemanica, *tit. 18. Si ancilla dimiſſa fuerit per chartam, aut in Eccleſia, & poſtea ſervo nupſerit, Eccleſiæ ancilla permaneat.* Etiam prædicta noſtri textus verba poſſunt accipi de ſervis a domino manumiſſis extra Eccleſiam ea lege, ut liberti Eccleſiæ manerent, & illi operas præſtarent: quod pactum frequenter apponebant tempore manumiſſionis Eccleſiæ priſci fideles. Ladiſlaus *lib. 1. Decreti, c. 3.* “Qui autem pro animarum ſalute liberati, mancipati fuerint, ut eo tempore Eccleſiæ ſerviant, ipſi nemini, niſi ipſi ſoli presbytero adminiſtrent. *Leo Marcian.* lib. 1. chronici Caſſian. c. 10. Servos ſuos, & ancillas omnes prius per chartulam libertate donavit, atque ita demum liberos cum curtibus propriis, & ceteris, quæ poſſidere videbantur, in jus monaſterii, poteſtamque redegit, ea ſcilicet lege, ut ſingulis eorum quatuor per menſes operas, ubi neceſſe fuerit, monaſterio impendant; res ſuas atque ſubſtantias nulli omnino, nec inter ſe, vendere, aut donare præſumant, reſque illorum, qui ſine liberis defuncti eſſent, in ditione monaſterii devenirent.“ De is ergo libertis accipi poſſunt verba ſupra relata. 12

h *Dignitate naturæ.*) Id eſt gradum honoris, & libertatem non meruerunt tempore nativitatis, cum ſervi naſcerentur; ſed temporis, & miniſterii neceſſitate, cum manumiſſi fuiſſent eo tempore; quo neceſſarii erant ad eccleſiaſtica officia peragenda: ſervitus enim dicitur impedimentum naturale ad ordines, non quia ſervitus a naturali jure proveniat, ſed quia ſervis, ex eo quod ſervi naſcuntur, ineſt impedimentum, ne ad ſacros ordines aſcendere poſſint. Notavit Latdmeter. *l. 2. de veteri monacho, c. 15. in principio.*

CAPUT IV.

Ex Concilio apud a *Altheum.*

NUllus clericus ad gradum Presbyterii promoveatur, niſi ut ſcriptum in *b* canonibus habetur. Si enim propter dilectionem Dei quis de ſervis ſuis quemquam elegerit, & docuerit litteras, & libertatem donaverit, & per interceſſionem erga Epiſcopum Presbyterum fecerit; ille autem in ſuperbiam elatus, Miſſam dominis, & canonicas horas obſervare, & pſallere renuerit; & eis juſte obedire, dicens ſe liberum eſſe, noluerit; & quaſi libere, cujus vult, homo fiat: hæc ſancta Synodus anathematizat, & illum a ſancta communione arceri judicat, donec reſipiſcat, & domino ſuo obediat, ſecundum canonica præcepta. Sin autem obſtinato animo etiam hæc contempſerit, accuſetur apud Epiſcopum, qui eum ordinavit, & degradetur, & fiat ſervus illius, ideſt domini ſui, ſicut natus fuerit. Quiſquis vero talem ſecum habuerit, poſtquam rem illius prædictam audierit, & domino ſuo, *c* non reddiderit, vel a ſe non projecerit, ſive Epiſcopus, ſive *d* Comes, ſive clericus, ſive laicus, anathematis illius ſocietate innodatus pœnam excommunicationis ducet.

NOTÆ.

1 a ALtheum.) Ita legitur in prima collectione, *ſub hoc tit. cap. 3.* ex qua textum tranſcribo; in ſexta collectione legitur, *apud Alichi*, apud Burchardum *l. 1. Decreti, c. 162. & l. 2. c. 234.* Carnotenſem *part. 6. Decreti, c. 302.* habetur *apud Altheim*: in nulla tamen Conciliorum editione reperitur hujus Synodi mentio; licet aliqui affirment in Gallia fuiſſe celebratam, illicque interfuiſſe Regem Conradum, ex cujus canone 38. tranſcribit textum hunc Carnotenſis *ubi ſupra.*

2 b *Canonibus.*) Relatis *in c. 1. hoc tit.*

c *Domino ſuo non reddiderit.* Qui ſi dolo malo fecerit, tenetur ſervi corrupti nomine, *l. 1. §. 2. l. doli 5. cum aliis, ff. de ſervo corrupto, l. ſi cuſus 13. §. 7. ff. de uſufruct. l. eum qui 5. ff. ad l. Flaviam, l. 2. C. eod. tit. lib. 1. C. ſi mancipium, l. inter 6. ff. ad l. Jul. & adult.*

d *Comes.*) Comitis officium, & qualis dignitas ſit, dicemus *in c. 1. de immun. eccleſ.*

COMMENTARIUM.

EX hoc textu communiter deducitur, dominum in ſervo, quem manumiſit, ut Presbyter ordinetur, poſſe ſpirituales operas imponere. Ad cujus canonis interpretationem ſciendum eſt, omiſſo Romanorum jure, quo inſpecto ex ſtipulatione tempore manumiſſionis interpoſita, liberti patronis ſuis operas præſtabunt, *l. 1. & per tot. ff. de operis libert.* Donellus *l. 7. comment. c. 25.* Valentia *l. 3. illuſtr. tr. 3. c. 4. n. 26.* Faber *in Papinianea, tit. 5. princ. 2. illat. 16.* ad quam operarum præſtationem, & obligationem ſpectant textus *in l. opera 7. ff. de uſufructu legato, l. adigere 6. §. ſtipulatus, ff. de jurepatr. l. eum qui 30. §. ſi libertus 4. de jurejur. l. ſi non ſortem, §. libertus, ff.* 3

dec-no

BIBLIOTECA CENTRAL

de condict. indeb. l. ult. ff. ſi libertus ingenuus, l. penult. C. de obſequiis, juncto Cujacio *ad eum tit. l. in liberto 77. ff. de ſolut. l. fin. ff. de liberali cauſſa, l. certum 6. §. ſi quis abſenti, ff. de confeſſis, l. ſi duo patroni, ff. de jurejur. l. 3. C. eod. tit. l. pro herede 20. §. ſi quid tamen, ff. de acquir. hæred. l. ſi quis pro eo 56. ff. de fidejuſſoribus, l. ſi patroni 55. ff. ad Trebell. l. penult. ff. ſi quis a parente, l. & eleganter 7. §. ſervus pactionis, ff. de dolo, l. ſervum 36. ff. manumiſſ. teſtam. l. Sthicus, §. ſi heredi, ff. de ſtatuliber. l. ſi vero 64. §. 1. & §. ſed etſi, ff. ſoluto matr.* juncto Fabro *lib. 20. conject. c. 18. l. 2. ff. de annuis legatis, l. ſciendum 70. ff. de V. S. l. ſi ſervus 38. de ſtipul. ſervor. l. ſi filius 33. ff. de fideicom. libert. l. videndum 95. ff. de legat. 1. l. dotalem 61. cum duabus ſequen. ff. ſoluto matrim. l. quæſitum 57. ff. de condit. & demonſtr. l. interdum 73. ff. de verbor. oblig. l. quæſtionis 18. ff. de probat. l. igitur 12. §. ſi opera, ff. de liberali cauſſa, l. ſi cum 9. §. 1. ff. de donat. inter, l. cum ſine 11. ff. de Carbon. edicto, l. ſi juravero 14. ff. de operis libert. l. penult. de aſſign. libert. l. ſi quis legatum 6. §. ult. ff. ad l. Cornel. de falſis*. Omiſſis ergo his operarum ſtipulationibus, in Gallia, & noſtra Hiſpania, atque Longobardia juxta proprias leges patroni tempore manumiſſionis, non ſolum obſequium, verum & operas retinebant: aliquando vero plena conceſſa libertate, nullum jus in eis conſervabant; qui liberti dicebantur Amundi, quaſi exempti ab omni poteſtate: cujus manumiſſionis formam tradit lex Longobardica *tit. 35. l. 2.* his verbis: *Qui Sulfreal a ſe extraneum, ideſt Amundum, facere voluerit, ſic debet facere: Tradat eum prius in manu alterius hominis liberi, & per Garanthix ipſum confirmet, & ille ſecundus tradat eum in manus tertii hominis, & tertius tradat eum in quarti, & ipſe quartus ducat eum in quadrivium, & tingat, in Vvadia, & Giſiles ibi ſint.* Cujus legis exotica verba exponit Lemaiſtre *lib. de jurib. eccleſ. c. 8.* Illis vero nullas operas imponebant, quibus libertatem præſtabant, ut clerici fierent ad votum Regis. De primis egi *in c. hoc tit.* de ſecundis, qui apud ipſos Longob. *Impantes* dicantur, ita habetur *d. tit. 35. l. 1. Qui per Impans, ideſt in votum Regis dimittitur, ipſa lege vivat, ſicut qui Amundus factus eſt, & cum eo patronus vivat tamquam cum fratre, ac cum aliis parentibus liberis.*

Licet ſervis manumiſſis, ut clerici fiant, patroni nequeant operas fabriles, ſeu officiales imponere, ut probavi *in c. 1. hoc tit.* tamen cum nulla detur indecentiæ ratio, ſi liberti ſacris initiati operas ſpirituales in patronos impendant, ideo patroni ab eis operas ſpirituales ſtipulari poſſunt, ut pro hujus textus interpretatione docent Suar. *de cenſ. diſp. 51. ſect. 3.* Gibal. *de irreg. c. 3.* D. Anton. de Caranna *in c. final. de don.* quas operas, ut adſtrictius cogantur patroni ſolvere, in præſenti ſtatuitur, ut ſi eas præſtare renuerint, degradentur, & in priſtinam ſervitutem revocentur. Sed contrarium probari videtur *in c. 2. de cond. appoſ.* ubi probatur, quemdam Diaconum duos ſervos manumiſiſſe ea lege, & conditione, ut monachi fierent (quæ pactio adimittitur ex traditis *in cap. fin. de pactis*;) alias ſervituti reſtituerentur. Unus ex eis monaſterium deſervit, & cum clericis ſe aſſociavit: quæſitum fuit, an ideo revocandus eſſet ad ſervitutem? Et reſpondet Greg. Magnus, curandum eſſe, ut voluntas manumittentis non negligatur, non autem revocari in ſervitutem. Ex quo textu colligitur, etiam adjecta conditione revocandi libertum ad ſervitutem, iterum ad eam redire non poſſe: igitur non recte in præſenti aſſeritur, ſervum manumiſſum ex pacto, ut ſpirituales operas perſolveret, in earum ſolutione ceſſando revocari in ſervitutem. Pro cujus textus expoſitione dicendum eſt, in eo agi de liberto jam religioni per profeſſionem mancipato, quam ſi deſerere velit, cogendus eſt ad eam redire, & in ea perſiſtere, ut ſic monaſterium non deſeratur, & voluntas manumittentis adimpleatur: noſtro vero caſu Eccleſiæ acquiſitus non erat, quare ex ſupra traditis debebat in ſervitutem revocari. Latius textum illum exponemus *in c. 16. de ſimonia*. 4 Exponitur cap. 2. de condit. Appoſ.

C A P U T V.

Alexander III. *Archiepiſ.* a *Turon.*

CONſuluit. *Et infra*: Conſ. t. t. reſpond. quod neque *b* ſpurios, neque ſervos ordinare debes. Et ſi memores, in conſecratione tibi *c* dictum fuit: Vide ne quemlibet ſervilis conditionis ad ordines promovere præſumas.

N O T Æ.

1 a TUron.) Suſpicor legendum eſſe *Tolet.* ut *in c. conſuluit 1. de appell. c. conſuluit, de Judæis*, ubi (ni fallor) ſunt aliæ partes hujus deciſionis, & auctorem habent Alex. noſtrum III. Retenta ergo ea lectione, *Alexand. III. Archiep. Tolet.* ſciendum eſt, Toletum Hiſpaniæ noſtræ urbem primariam eſſe, quam ita deſcribit Philippus Ferrar. *in Topograph. Nov. SS. fol. 125. col. 2.* ſic: " Ad Tagum fluvium circumfluentem, novæ Caſtellæ caput, ampliſſima Metropolis, umbiculus Hiſpaniæ, urbs ampla & Regia nobiliſſima, cujus Cathedralis Eccleſia maxima, auro, gemmis ornata, auguſtiſſima eſt omnium Eccleſiarum, non modo Hiſpaniæ; ſed & totius orbis ditiſſima, ut auſim affirmare, Archiepiſcopum, Toletanum, qui Primas eſt Hiſpaniæ, tot redditus habere, qui omnes Epiſcoporum Italiæ redditus in unum collectos ſuperent. Id etiam certum, plus ab Archiepiſcopo Toletano ſolo poſſideri, quam ab omnibus Epiſcopis Galliæ ſimul acceptis: tanta fuit Regum Hiſpaniæ erga Eccleſias ſuas pietas." Eam conſtructam fuiſſe a Tabula referunt Granados *in ſerm. de dedicat. Eccleſiæ, fol. 7. & 9.* Ortiz *de templis Toleti*. A. Chaldæis tradunt Arias Montanus, Garibay, & alii relati a Franc. Piſa *lib. 1. hiſt. Tolet. cap. 3.* Epiſcopum accepiſſe a D. Jacobo Apoſtolo ibi adveniente, late probant Vivar. *ad Flavium Dextrum, ann. 36. n. 137.* D. Didacus Caſtejon *l. 1. Primatiæ Toleti, p. 1. cap. 6.* Tamayo *in notis ad Dextrum, c. 13.* Mauro-Caſtella *in hiſtor. D. Jacobi l. 1. c. 20.* Mendez de Silva, Hieronymus Higuerra, & alii relati a Quintanadvennas *in Sanctis Tolet. cap. 1.* Ejus Eccleſiæ Primatiam late adſtruemus *in cap. coram, de in integrum reſt.* Celebruno igitur Eccleſiæ Præſuli miſſa eſt hæc deciſio; ipſe enim temporibus Alexandri III. eam rexit Eccleſiam, ut in catalogo Præſulum Tolet. Eccleſiæ refert Tamayo *tom. 5. martyr. Hiſpan. die 25. Octobr.*

2 b *Spurios.* De his egi *in c. 1. de filiis presbyt.*

c *Dictum fuit.*) Hæc admonitio reperitur in cæremoniali Ratoldi; in noviſſimis vero non reperitur.

C A P U T VI.

Innocentius III. a *Varienſi Epiſcopo.*

EO libentius. *Et infra*: Adjeciſti aliam quæſtionem, an illorum filii, qui Eccleſiæ ſervili conditione tenentur, traditi a parentibus militiæ *b* clericali cum ſuorum conniventia dominorum, ut in eadem Eccleſia debeant deſervire, aſſequentes propterea libertatem, poſt tempus ea relicta poſſint ad aliam ſe transferre? In quo credimus diſtinguendum, utrum eo tenore fuerint *c* manumiſſi, & oblati ordini clericali, quod *d* manumittenti Eccleſiæ, dum vixerint, debeant impendere famulatum in *e* obſequiis divinorum, & tunc transferendi ſe ad aliam eſt eis licentia deneganda: vel manumiſſi extiterint abſolute, ſicque libertatem habeant ad aliam tranſeundi.

N O T Æ.

1 a VArienſi.) Seu Vacienſi, ut legitur in tertia collectione, *ſub hoc titul. c. unico*. Vacienſis Epiſcopatus eſt in Ungaria ſuffraganeus Strigonienſis.

2 b *Militia clericali.*) *Cap. 1. de vita, & honeſt. cleric. l. 6. c. 1. de renunt.* ubi aliqua de ratione hujus nomenclaturæ dixi.

3 c *Manumiſſi.*) Conditio in manumiſſione poteſt adjici, ut deſerviat certæ Eccleſiæ, quia talis pactio nullam ſimoniæ labem continet, ut late probat Angujanus *l. 4. de legibus, c. 7.*

4 d *Manumittenti Eccleſiæ.*) Eccleſiam appellat manumittentem Innoc. III. quia in Eccleſia manumittebatur, juxta dicta *in c. 1. hoc tit.* & ipſa patrona remanebat eorum, ut dixi *in c. 3. hoc tit.*

e *Obſequiis.*) Frequenter enim olim a devotis fidelibus ſervos manumittentibus adjiciebatur ea conditio, ut perpetuo certæ Eccleſiæ operas impenderent; qui liberti poſtea nec a manumittente, nec ab ejus herede quoad juſpatronatus, ſive ut operas ſibi præſtarent, compelli poterant, *lib. 18. tit. 7. lib. 5. legum Vviſigot.* ibi: *Quodlibet de quocumque libertis, aut ſpecialiter de eccleſiaſticis, dignitas ſublimavit honoris, aut præfixis ſanctorum locis deputavit, vel ordo religionis, vel ordinatio manumittentis, non erunt ad hominum patrocinium reducendi contentione qualibet heredis.* Si ergo hæc obſervabantur in liberto laico præſtante operas Eccleſiæ ex oblatione domini; quanto magis ſervi manumiſſi, ut clerici fiant, & miniſtrent in certa Eccleſia, in ejus ſervitio perpetuo debent manere, nec ab ea recedere poſſunt. 5

C A-

C A P U T VII.

a Idem.

MIramur non modicum, cum certum ſit in conſtitutionibus *b* antiquorum, quando ſervi in gradus eccleſiaſticos ordinati, debeant in ſervitutem, vel non debeant revocari. *Et infra*: De ſubdiaconali ordine, quia de eo non fit mentio in Patrum ſtatutis expreſſe, videtur nobis, quod & is cum diaconali gradu privilegio gaudet eodem. Nam licet ſacer ordo non reputaretur in Eccleſia primitiva, tamen a conſtitutione Gregorii, atque *c* Urbani ſecundum moderna tempora ſacer gradus eſſe minime dubitatur.

N O T Æ.

1 a IDem.) Textus hic in hac ſexta collectione tribuitur Innoc. III. ſed nec inter ejus epiſtolas hucuſque editas, nec in ulla ex collectionibus epiſtolarum ipſius reperitur. De hoc autem textu, & aliis ſex in hoc volumine compilatis ſub nomine Innoc. III. Tancredus, qui notas ſcripſit *ad 3. collect.* in fine ipſius, ita lectorem monet in fine operis; " Quidam affectionis ardor ſcholaſticæ me cogit, ut quaſdam Decretales, quas ſub nomine Domini Innoc. III. habent ſcholaſtici, tamquam non ſuas reſpuatis; neque enim in regiſtris ejus continentur, neque ab eo editæ comprobantur, ſicut ore ad os ab eo accepi. Quarum una eſt de ſervo in Subdiaconum ordinato, qui privilegio aſſeritur eodem gaudere cum clerico. Secunda de Subdiacono eligendo, in qua dicitur, quod ad hoc non vidimus aliquem reprobatum. Tertia de dote, ubi dicitur, quod qui forte de matrimonio cognoviſti, & de dote cognoſcere valuiſti. Quarta de clericis, qui renuunt ordinari, ubi dicitur, quod eis beneficia auferantur. Quinta de ſacramentis exortis, ubi dicitur, quod illi, qui ea præſtiterunt, penitus obſervare tenentur. Sic & de quibuſdam aliis accipite. Prima prædictarum, quæ incipit, Miramur: ſecunda, Ex litteris: tertia, De prudentia: quarta, Quæris: quinta, ſuper conſultatione ſexta, Tametſi juri non repugnat: ſeptima, Pene ſuave eſt. Omnes autem, quæ in hoc opere continentur, in regiſtris ejus a primo anno uſque ad duodecimum noveritis contineri." Refert hoc Tancredi teſtimonium Ant. Aug. *in præmiſſis ad collectionum notas, in fin.* Sed cum tam præſens deciſio, quam aliæ, quæ a Tancredo indicantur, & a nobis ſuis locis exponentur, compilatæ reperiantur in hoc Decretalium volumine a Gregorio IX. approbato, ambigendum non eſt, eas eſſe authenticas; ſiquidem licet de auctore non conſtet, volumen tamen hoc authenticum eſt: & ſufficit, etſi auctoris incerti fragmentum reperiatur, quod ſit in volumine authentico, ut authentichum judicetur: Probat late Pater Redanus *in commentarium ad Machabæorum librum in apparatu.*

b *Antiquorum.*) *Cap. ex antiquis, 54. diſt.*

c *Urbani.*) Ut late probavi *in c. a multis, de ætat. & qual.*

C A P U T F I N A L E.

Gregorius IX. *Archiepiſcopo* a *Neapolitano.*

DIlectus filius G. Diaconus propoſuit, quod I, miles ea occaſione, quod patrem ipſius *b* hominem ſervum eſſe proponit (licet mater ſua, cujus debet imitari conditionem, & libera eſſe noſcatur) ne promoveatur in Presbyterum, impedire præſumit. Quocirca mandamus, quatenus ſi tibi conſtiterit de præmiſſis, eumdem militem ab hujuſmodi impedimento ceſſare compeſcas.

N O T Æ.

a NEapolitano.) De origine, & amplitudine urbis Neapolitanæ, late egi *in c. 2. de conſtit.*

b *Hominem.*) In jure Cæſareo homines appellantur procuratores, actores, cuſtodes, emphytheutæ, *l. 2. C. de Epiſc. & Cler. l. 4. C. de dignit. lib. 2. C. de conduct. & procur. prædior. fiſcal. l. fin. C. ut nullus ex vicaneis*: in libris vero feudalibus homines appellantur vaſſalli, qui feudum a domino acceperunt, & illi homagium, ſive hominium jurarunt. Hothomanus, & alii de verbis feudalibus agentes, verbo *Homo*. In legibus Vviſigoth. & Longobardor. illi homines appellantur, qui ſunt ſervilis conditionis. *l. 6. tit. 2. lib. 3. l. 18. tit. 1. l. 9. legum Longobard.* probat Fredericus Lindembrogius *in Gloſſario legum antiq. verbo homo*. Qua in ſignificatione homo accipitur in præſenti, & apud Joann. VIII. R. P. *epiſtol. 299.* Anſelmo Epiſcopo, ibi: *Quidam ſceleratus Longobardus nomine N. homo Vvidonis Marchionis.*

COMMENTARIUM.

2 Concluſio probatur. EX hac Gregorii IX. deciſione ſequens deducitur aſſertio: *Natus ex libera matre, patre autem ſervo, lib. naſcitur.* Probant eam textus *in c. fin. 32. q. 4. c. licet 3. de conjugio ſerv. c. un. de natis ex libero ventre, l. 5. §. ingenui, l. lex 24. l. Imp. ff. de ſtatu hom. l. hujuſmodi 84. §. legatum 10. ff. de legat. 1. l. cum pater 77. §. cum inter 28. de legat. 2. l. partum, C. de rei vind. l. neque 10. C. de prob. l. libertina 9. Cod. de ingen. manum. l. 3. C. ſol. matr. l. 6. C. de ſuis & legit. l. avia 28. l. fin. C de liberali cauſſa, princ. Inſt. de ingenuis*, Ulpian. *in fragm. tit. 5. §. ex cive*, Paulus *l. 2. ſent. tit. 25.* Conſonant de jure Regio textus *in l. 1. tit. 14. p. 4. l. 2. tit. 21. ead. p.* Illuſtrant Cujacius *l. 4. obſ. c. 28. & in l. 2. ff. ne de ſtatu defun.* Faber *in Papin. tit. 4. per tot.* & in rationali ad text. *in l. 25. & 28. ff. de ſtatu hom.* Carranza *de partu, c. 3.* Benitez *in c. unic. de natis ex libero*, qui plures congerunt, quibus addendi ſunt Anton. Faber *l. 4. conject. c. 29.* Sarmientus *l. 1. ſelect. c. 5.* noſter D. Franciſcus de Amaya *in l. 29. & 36. C. de Decur. & l. 2. obſ. c. 6.* Baſilius *l. 11. de matr. c. 3.* Leo Pinellus *in c. per venerabilem, n. 266. qui filii ſint legitimi*, Grotius *de jure belli l. 2. c. 5. n. 29.* Lælius Mancinus *l. 1. de triplici jure, c. 75.* Opingius *de jure inſignium, c. 7.* Forner. *l. 1. ſelect. c. 7.* Hunnius *ad Treutlerum vol. 1. diſp. 2. theſi 50.* Pichardus *de nobil. comm. num. 93.* claudat agmen D. Joſephus Fernandez de Retes *tom. 2. opuſc. l. 8. c. 5.*

3 Ratio dubitandi. Adverſus hanc aſſertionem ita illuſtratam pro dubitandi ratione ita inſurgi valet: Licet enim verum ſit, in filiis vulgo quæſitis, & extra matrimonium natis, partum quoad ſtatum matris conditionem ſequi: tamen cum filii legitimi, & legitimo matrimonio procreati ſunt, non matris ſed patris conditionem ſequuntur, *l. cum legitime 19. ff. de ſtatu hom.* Ulpianus *in fragm. tit. 5. §. ex cive, l. eos 22. l. exemplo 36. l. nullus 44. C. de Decur. lib. 10. l. 1. §. qui ex duobus, ff. ad munic. l. Senatorum 6. l. liberos 10. ff. de Senatoribus*, plura Carranza *d. c. 3. §. 3. n. 4.* quod & diverſarum gentium legibus firmatur. In Italia enim, ubi noſtri textus caſus contigit, proles ex matrimonio ſuſcepta patrem ſequebatur, *c. licet, de conjugio ſervorum*. Apud Saxones idem obſervari conſtat *ex l. 16. tit. 1. ipſorum*. Apud Vviſigothos *ex l. 3. tit. 11. l. 3. l. 4. tit. 5. l. 7. l. 9. tit. 1. l. 16. legum Vviſigoth.* Apud alias nationes idem obſervari probat Grotius *de jure belli, l. 2. c. 5. n. 29.* ſed in hoc textu agebatur de filio nato ex conjugio, alias ob potiſſimam cauſſam, videlicet quia ſpurius erat, ordinari non poterat, *c. conſuluit, hoc tit.* Igitur ſi in præſenti agebatur de filio in matrimonio nato, non matris, ſed patris conditio attendi debebat.

Pro hujus textus, & ejus deciſionis plena interpretatione 4 Ingenui, qui ſint.
ſciendum eſt, ingenuos homines, aut naſci, aut fieri: ingenui naſcuntur ex liberta, ingenuave, *l. & ſervorum, ff. de ſtatu homin. l. cum pater 77. §. cum inter 28. ff. de leg. 2. l. quod ex libera 11. C. de operis libert. novel. 54. Juſtiniani*. Qui naſcitur ex libertis ingenuis ingenuus naſcitur; qui ex libertis Latinis, ingenuus Latinus; Paulus *l. 4. ſent. tit. 4. §. Latina*; & ingenui ita perſeverant, ſi ſervitutis jugum nunquam ſint experti, ut docet Harmenopul. *l. 1. prompt. tit. 18.* Qui enim ex matre libera nati ſunt, ſi poſtea ſervi efficiantur, & manumittantur ex vera ſervitute, priſtinæ ingenuitati non reſtituuntur, *l. homo liber 21. ff. de ſtatu homin. l. cum pacto 40. ff. de liberali cauſſa, l. ſervus legatus 27. §. 1. ff. de adimend. leg.* Donellus *l. 2. comment. c. 11.* Paulus Zacchias *tit. 2. quæſt. Medicolegal. q. 2.* quare ita manumiſſi excluduntur a ſucceſſione cognatorum, *l. 1. §. filio, ff. ad Tertyll.* Pinellus *l. 2. ſelect. c. 7. n. 19.* quia tunc ex vera ſervitute manumiſſi ſunt, & non illis manumiſſio officit, ſed ſervitus præcedens, *§. ult. Inſtit. de Ingenuis*. Quomodo autem vera ſervitus liberis hominibus contingat, breviter videamus. Et primo ſervitus contingit captivitate, *l. 4. ff. de juſt. & jure, l. adeo 7. ff. de acquir. domin.* Grotius *l. 3. de jure belli, c. 6.* dum bellum publice indictum ſit, non autem ſi a latronibus, vel piratis, aut in civilibus diſſenſionibus homines liberi capti fuerint, nam tunc liberi manent, *l. hoſtes, ff. de captivis*, Cicero *l. 3. off. l. 4. C. de ingenuis manum.* item liber homo, qui ſciens, prudenſque major viginti annorum ad pretium participandum ſe venundari patitur, *l. 1. ff. & C. quibus ad libertatem proclamare*; item ex Senatuſconſulto Claudiano mulier, quæ ſervi amore bacchata, alieno ſervo ſe conjunxerit, ancilla manet, *l. Lucius 27. ff. depoſiti, l. unic. C. de SC. Claudiano, l. ult. C. de ſervis fugit.* dicemus infra *in tit. de conjug. ſerv.* Item qui tenebantur profiteri cenſum ſingulis luſtris, ſi eam profeſſionem omittebant, ſervi efficiebantur. Ulpianus *in frag. tit. de tutelis, §. 11.* Cicero pro Cecinna. Item milites, qui ad delectum non reſpondebant, id eſt præceptis factis a Duce, ſive Imperatore non obtemperabant, tamquam proditores libertatis in ſervitutem revocabantur *l. 4. §. gravius, ff. de re milit.* Valerius Maximus *l. 3. c. 3.* Lipſius *de milit. Romana, ad Polybium dialog. 4.* Tandem in metallum, latumias, opuſve metalli dati, ſervi olim fiebant atrocitate ſententiæ, *l. aut damnum 8. §. eſt pœna 4. ff. de pœnis*, tunc ſcilicet, cum in perpetuum damnati erant, non ad tempus: &

ſi ab

BIBLIOTECA CENTRAL